Rostocker Dokumentenserver
Dieses Werk wurde Ihnen durch die Universitätsbibliothek Rostock zum Download bereitgestellt.
Für Fragen und Hinweise wenden Sie sich bitte an: digibib.ub@uni-rostock.de

Flavius Magnus Aurelius Cassiodorus

Magni Aurelii Cassiodori ... Senatoris ... Liber De Amicitia Et Amore

Rostochii: Cattiterographeum Chilianum, 1664

http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730111245

Druck Freier Zugang PUBLIC DOMAIN

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730111245/phys_0001
DFG

Fe_3180.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730111245/phys_0002
DFG

Bibliotheca
Academiae
Rostochiensis

MAGNI AURELII
CASSIODORI
Viri Inlustris & Magnifici
Senatoris
Exquæstor. S. Palatii, Excos. ordinar.
Ex Magist. officior.
Præfecti Prætorio & Patritii
ad extremum
Monachi & Abbatis
Cœnobii ad urbem Ravennatem,

LIBER
DE AMICITIA ET AMORE
mundior in mundum emissus
operâ & impensâ

JOHANNIS BERNHARDI
JUSTI JCti & Philologi F.
ZINZERLINGI,
Anno Mortalium Omnium Redemtoris
M. DC. LXIV
exeunte.

Bibliotheca Academiae Rostochiensis

Rostochii.
E Cattiterographeo Chiliano.

Reverendiss. atq; Serenis.
Postul. Administrator. Archiepisc. Magdeb. &c.
& Duc. Brunsv. &c.
Consiliarii assiduissimi,
& apud Serenis. Duc. Mechl. &c. h. t. Legati lectissimi,
Viri Magnif. Strenuiss. & Excellentiss.

DN. HENRICE DÜRFELDI,
DN. PHILIPPE GEORGI BRUNNERE,
DN. JUSTE GEORGI SCHÖTTELI,

Juris & justitiæ Antistites sanctissimi,
Imminent iterum D. G. Kalendæ strenuis Christianè
dandis dicatæ,
sequestratâ omni Paganorum superstitione.
Strenuis viris has ob virtutem convenire nominis indicio
autor est Symmachus gentilis, cætera opinatissimus.
Ideoq; V. Magnif. Stren. & Excell. insigne ejusmodi
Christianum debetur,
Quorum erecta mens magis testimonium vigilantiæ quàm
omen exspectat.
Offero ergo & ego vobis Christianâ manu & mente
Non verbenas filicis arboris parùm-felicis,
Quas ex idololatrico Streniæ luco primus Tatius accepit Rex,
Quales vos acerrimi paganitatis osores abominamini;
Neq; crasso auro argentove ductas solemnes pateras,
Quas Imperatoribus Valent. Theod. & Arc. libavit Symmach9,
Quales â meâ malè-beati mediocritate non exspectatis:
Sed tm. tenuia folia Cassiæ odoræ Amicitiæ & Amoris,
M. Aur. Cassiodori *Magnatibus* ob sua paternaq; consi-
lia ac legationes cari,
quæ nec vestrum pudorem nec meum censum onerant.
Suscipite benevolè hæc aperta obsequia, qui pretia occulta
damnatis.
Admittite Xenium, Hospites ædium nostrarum acceptissimi
Respicite Strenam; Mæcenates & Fautores ἀπὸ
μηχανῆς ἀπαφανέντες.
Sortimini quod supereſt, instãtẽ & plures seq. aũos solidè felices
Vivite Deo, Magnatibus, Provinciis, Familiis vestris,
Et mihi, V. Magn. Stren. Excell. nominum cultori sinceriſſimo
EDITORI ET AUTORI.

Modesto & Benevolo Lectori.

QVod Socrates Philosophus acutissimus ad puerum quendam forte non inelegantem, quem pater locuples per pædagogum miserat, ut cerneretur, indoles q; ejus ex φυσιογνωμίᾳ cognosceretur, palam dixit: *Loquere ut te videam*: id procul dubio in me si non facie, at titulo forsan aliquo speciosum nonnulli non tam Philosophi quàm Sophistæ, quales deformãt Diog. Laërt. lib. 2. in Vit. Socr. p. m. 108. & Scaliger F. Jamb. gnom. 34. clam torquebunt. Fateor eqvidem ingenuus, me parum speciminis publici, quod solidè de meis testaretur studiis, hactenus edidisse. Verùm voluntas mihi non defuit, sed facultas. Novit enim Deus καρδιογνώστης, quanto tangar desiderio talentorum mihi ab ipsius immeritâ gratiâ impertitorum bono publico fœnerandi, constatq; inter amicos meos bonosq; omnes de animo meo rei literariæ pro meâ virili juvandæ. Quibus echeneisin hæc mea propensio huc usq; sufflaminata fuerit, ei non ignotum est, cui nihil ignotum. Atq; hinc vix deprecatione opus haberem. Verum enim verò ut tantùm detractorum genuinos retunderem, tandem rupi silentia. Sisto itaq; atq; in scenam iterum produco CASSIODORUM non quidem totum (præsens enim hoc mea conditio non fert), attamen non minimam vilissimamvè ejus partem, quæ est Commentarius s. Tractatus DE AMICITIA ET AMORE. Sed & heic iterùm videor mihi videre unius vel alterius Philosophiæ non tam veræ quàm simulatæ affectatoris linguam bisulcam, obtrecta bundi, quod Philologum potius quàm Juridicum agam. Orabit pro me causam CL. *Joh. Fridericus Gronovius*, Philologus æquè ac JCtus, cujus verba integra

ex præfat. ad Lect. præmissa Diatribæ in Silvas Papinianas bona fide huc transsumam: Nil egi (inquit) turpis lucri (quod his studiis non quæri sciunt parasitastri quidam parvuli, qui cum omni æruscandi genere se saginárunt, & lacrymas miserorum & sanguinem cotidie in digitis componunt, bonis viris modicas & honestas opes, & criticam nec Cereri parandæ facilem nec Lyæo ceu probrum objiciunt) aut inanis ostentationis gratiâ, adquam prorsus ineptus sum: sed mente omnia simplicissimâ & publici boni juvandi cupidine. Oraculum enim mihi illud sapientissimi vatis, cujus singulos versus singulas sententias dicebat incomparabilis Vir & Consul. Εἰ δ' λαβὼν ἕκαστος, ὅ, τι δύναιτό τις καλὸν, δι' ἐλθοι τοῦτο, κ' ἐς κοινὸν φέροι πατρίδι, κακῶν ἂν αἱ πόλεις ἐλαττόνων πειρώμεναι τὸ λοιπὸν εὐτύχουν ἄν. —— —— Nec deerunt proximè hos funem ducentes, —— barbari & cõemtores humanitatis & literarum: qui veram eruditionem Grammaticam appellant, incorruptos illos sanæ sapientiæ Magistros, Græcos dico & Latinos Scriptores, Pædagogiis delegant. Qui nisi animam pro sale haberent, nunquam eo procederent insolentiæ, ut, cùm ipsos cruda studia ad caninæ facundiæ rabiem aut aliam quæstuariam artem appellere coegerit infelicitas sua vel auri sacra fames, malum morem suũ omnibus pro lege esse cuperent, & præstantia quævis ingenia in eundẽ imperitiæ ludũ damnari. Sed ejusmodi graculorum censiones, quibus nec ciccum suum Plautus, nec nauci Afranius muta ret, facilè elevamus: nec tam humili sum animo, ut cum illâ natione, nisi quatenus publicum bonum & antiquitatis & posteritatis cura iusserit, vel sustineamus componi. Fruantur in-

cur insania sua: Baccho bacchanti adversari est jurare " in eadem orgia. Apud æquos & sanos judices Accio " idem quod Titio jus erit, & ab his nescio, laudari ma- " lim, an reprehendi & erudiri. Huc usq; Grônovii verba. Sed quid Cybariticorum istorum vertagorum â me amolior linguam, quum eam ipsam jam ante me expertus sit Genitor meus Justus p. r. teste Programmate, quo LL. Humanitatisq; cultores ad geminum (quod vocant) collegium, alterum Juridicum super re monetariâ & institutionũ; alterum super Triumviros Amorum Catullum Tibullum & Propertium invitavit. Hæc dum profero, nemo existimet, esse hæc dicta probis, doctis, sapientibus, alto quorum corde manet pietas cultusq; supremi, ut utar metris Guil. Sallustii du Bartas hebd. 2. diei 1. lib 3. & me istos nescire distinguere â veris Ictis. Imò cum *Christoph. Ad. Ruperto* observ. in Flor. 4, 12, 34. scio tantùm differre, quantum Hypanis Veneto distat ab Eridano, quantum Justitia illa Deum soboles ab ipso Diabolo, qui Justitiæ semper adversatur. Illorum latratum & sibilum privatum Spartanâ mente sperno: horum publicum calculum & applausum certus mihi promitto. Nec in hoc animi fallar: cùm multos habeam Antecessores, quorum autoritatem non defugio. Sic insequentes Icti *Dionys. & Jacobus Gothofredi* pater & filius, ille *Ciceronem & Autores L. L.* hic (cujus *Codicem Theodosianum* titulo tenus jam ante hosce 14, nî fallor, annos promissũ frustra hactenus exspectavimus) *Philostorgium, Obertus Ciofanius Lucretium, Jul. Pacius â Berigâ Ethicam Aristotelis, Franc. Juretus Symmachi epistolas, Guil. Fornerius cum Petro Brosseo Cassiodori varias, parens meus Justus Valerii Flacci Argonautica, Conr. Rittershusius* (præter alios) *Oppianum & Salvianum*, illum scriptorem secularem, hunc Ecclesiasticum,

Joh. Heringius Ambrosium Mediolanensem & Matthæum Vindocinensem utrumq; Ecclesiasticum illum Rhetora, hunc Poëtam, notis cedro dignis illustrârunt. Taceo jam *Jac. Rævardum*, *Franc. Hotomannum*, *Marqu. Freherum*, *Barn. Brissonium* (cujus A. C. *1591.* in tumultu Gallicano immeritum suspendium, perfectionem libri illius, quem incudi â se submissum morte suâ magno Reip. detrimento periturum, in articulo mortis, verbis suspensis questus est, suspendit), *Guil. Budæum*, *Hug Grotium* (cujus hèic ante duodeviginti, si rectè memini, annos præter spem defuncti cor cum reliquis intestinis nostras sequestriparæ semper virgini dicata ædes commendatum fovet) *Jacobum Cujacium* (qui publicè ad parietes Europæ nostræ affixerat Jctos verborum peritiores esse quàm Grammaticos), de quibus omnibus plerisq; adeatur præ cæteris *Jos. Arndius* in oratione de contemtu Philologiæ & *Andr. Senftleb.* in Dedicat. variar. antiqu. navium silvæ præmissâ. Possent hisce tantis viris alii, qui similiter Themidi Musas politiores junxerint, addi; ὅντες ἐ μία ναῦς ἄγει; quare iis enumerandis supersedemus. Sed propius ad nostrum Cassiodorum accedamus. Num materia illa, de qua in hoc opusculo tractatur, planè â jure nostro aliena eiq; incognita est? Minimè. Facillimum hoc probatu esset, si usus exigeret: verùm cùm id satis affatim cum aliis *Ludov. Carbo* tr. de Pacificatione & inimicorum dilectione, *Joh. de Lignano tr. de Amicitiâ* (Tract. tract. tom. *12.* pag. *227.*) & *Petrus Gotofredus de Amore* declarârint, neq; iis nunc immoramur. Nec Autor noster â foro Juridico eliminandus est, quippe qui, si quis alius, Jctum suo tempore egerit felicissimum. Ejus consiliis usi fuère *Theodericus* Bernas s.

nas I. Veronensis (vulgò Dietrich von Bern) ejus filia *Amalasuntha* Eutharico Cillicæ nupta, nepos ex his *Athalaricus*, sororis Amalafredæ filius (quem vulgò nepotem ex sorore dicimus) ex Thrasimundo Vandal. in Africâ Rege IVto, *Theodahatus*, & neptis Mathasunthæ maritus seu progener *Vitiges*, pleriq; omnes *Ostrogothorum in Italiâ Reges*; attestante volumine, quod *Variarum* nomine ipse prænotavit. Quod volumen quid aliud est, quàm Codex Legum, Edictorum, Rescriptorum & Formularum, nomine prælaudatorum Principum emissorum, ut illum eodem jure *Codicem Cassiodoranum*, quo Ant. Faber suum *Fabrianum*, nominare liceat; imò meliore, eò quòd plurima ejus Rescripta autoritate Regiâ composita sub idem admodum tempus, quo ultimorum Romanorum Impp. leges promulgatæ sunt, prodierint, & stilo (qui si asperiusculus est & pompaticus, seculo hoc condonandum, de quo ita Nicol: Causinus lib. 3. de Eloq. sacr. & Prof. c. 14. *Magna Aurelii Cassiodori mens, qui inter Gothici seculi barbariem quasi sidus quoddam eluxit, stilo veniam deprecatur, & facile impetrat*) tam similia hisce sint, quàm lac lacti aut ovum ovo, ut nescio quo pignore certares, utraq; ex unis iisdemq; scriniis s. Cancellariis (ut vulgò dicuntur) profecta. Porrò hic noster non tantùm in secularibus literis omnium suo ævo facile eruditissimus, sed & scripturarum Divinarum lectione plenissimus fuit: unde non solùm ut JCtus & Historicus secularis nominatissimum illum *Variarum Codicem & Historiam Gothicam* (cujus amissæ *Epitomen* nobis reliquit *Jornandes s. Jordanus*,) verùm etiam ut Theosophus seculo subductus plurimos Ecclesiasticos condiderit tractatus, quorum catalogus extat apud Joh. Trithem. de script.

Eccleſiaſt. Poſſev. appar. ſacr. Bellarm. de ſcript. Eccleſ. Geſn. biblioth. & alios, qui Bibliothecas ſ. Commentarios de Scriptor. præprimis Eccleſiaſt. edidère. Inter hosce ultimos non ultimum meretur locũ commemoratus *Commentarius de Amicitiâ & Amore.* Hujus quamlibet nõ meminerint Trithemius, Bellarminus aliíq; modò adducti autores, non tamen ideo ipſi abjudicandus videtur: quippe qui potuerit eſſe in numero eorum tractatuũ, quos ad notitiam ſuæ lectionis non veniſſe, aut an extent ſe ignorare fatentur aperte Trithemius & Bellarminus. Hinc non video, quid nos movere poſſit, quo minus hunc partum vero & legitimo reſtituamus parenti, noſtro nempe Caſſiodoro: in quo nobis præiit Autor Editionis Genevenſis, quisquis ille fuit, quæ parata eſt A. C. 1650. Aliàs nulla fere aut exigua, quantum mihi penetrare licuit, tractatus hujus apud aſſiduos extat ſcriptores memoria. Florilegiorum compoſitores aliquot, qui ſe mihi obtulère, evolvi, ſed neminem (niſi me oculi fugitivi fefellerunt) reperi alium, qui ejus autoritate uteretur, præter *Tob. Magirum* in polymnem. p. m. 115. 116. 138. & *Ott. Freundium* in Floſcul. Amicit. ſed unico tantùm loco, pag nim. 69. 5 nam reliquis gnomas ejus nomine Petri Bleſenſis citat. Et huic Petro etiam Tractatus quidam *De Amicitia Chriſtianâ* à Trith. & Bellarm. adſcribitur, & operibus ejusdem à Joh. Buſæo Jeſuitâ adnectitur. Sed ut dicam, quod res eſt, commentariolus ille de Amic. Chriſt. qui nomine jamjam allegati Petri venditatur, tantùm Compendium eſt partis prioris operis Caſſiodorani, quod ille fortè exercitii ergo vel aliâ quapiam de cauſſa ipſi ſoli notâ coarctavit, ut dici non injuriâ queat Caſſiodorus contractus. Quod attinet argumenta, quibus

bus Busæus probare conatur, Petro Bl. accepto ferendum esse sæpius nominatum tractatum, eâdem illa facilitate Cassiodoro applicantur. Videamus verba Busæi, quæ integra hæc sunt: Tractatum aliquem de Amicitiâ Christianâ â Petro Bl. editum fuisse fidem facit Catalogus Joh. Trithemii, in quo etiam primum locum inter Blesensis opuscula obtinuit. An autem præsens Tractatus, quem nos hic in lucem edimus, Blesensem vendicet parentem & auctorem, in controversiam vocari potest: nam Trithemius diserte scribit, libri de Amicitiâ Christianâ principium sumi ab his verbis; Quoniam diminutæ sunt veritates, quæ verba non sunt in Tractatu nostro. At nihilonimus in eam sententiam prorsus inclino, Tractatum hunc legitimum esse Blesensis partum, non eò solùm, quod codex formulis ante 80, ut apparet, annos excusus (quem unum, eumq; mendis obsitum, Confluentiâ nactus sum) in fronte præferat Petri Bl. nomen, sed multò magis, quod tota orationis structurâ sententiarumq; acumine purũ putumq; Bl. repræsentet. Quod si verum est, extremum in hoc opere locum occupavit, cùm mox in foribus opusculi ingenuè fateatur, eum â se jam sene viribus fracto & morti proximo conscriptum & divulgatum esse. Hæc Busæus. Ubi patet primò eum timidè, mox verò confidenter fœtum hunc adserere Blesensi. Sed verbis ejusdem pro tuendâ Cassiodoranâ autoritate potiore jure utar hoc modo: *In eam sententiam admodum inclino, Tractatum hunc (quoad veram originem) legitimum esse Cassiodori partum, non eò solùm, quod codex ante 14. annos Genevæ (ut jam supra monitum) excusus, quem unum (nam plures inspicere nondum licuit: habeo quidem adhuc aliam*

Editionem np. Parisiensem de Anno *1576.* verùm ibi planè nullus apparet : an verò extet in Editionibus à *Joh. Henr. Hottingero* in Bibliothec. quadripart. p.m. *307.* citatis, quas nullâ curâ potuimus hucusq; nancisci, videl. Lutetianis de Anno *1519. 1588. 1605.* Moguntinâ de Anno *1602.* dicere non habeo)eumq; mendis obsitum, ut Animadversiones nostræ docebunt, Bremâ nactus sum, ante annos admodum novem, cùm Delmenhorsti præfectum studiorum Generosi Dn. Christiani Guntheri ab Osten, Hieronymi Georgii Satrapæ tunc Delmenhorstani strenuissimi *νῦν ἐν ἁγίοις* F. paternum dantis, jam primicerii Cubiculariorum Regiorum in Daniâ egregiissimi, agerem, in fronte præferat M. Aur. Cassiodori nomen, sed multò magis, quòd totâ orationis structurâ sententiarumq; acumine purum putumq; Cassiodorum repræsentet. Quod si verum est, meritò extremum in hoc opere (nempe dictæ Editionis Genevensis) locum occupavit, cùm mox in atrio opusculi ingenuè fateatur, eum â se jam sene (nam nonagenario major A. C. *562.* Computum Paschalem edidit, referente Calvis. in Chron.) viribus fracto & morti proximo conscriptum & divulgatum esse. Plura adhuc pro adstruendâ Cassiodori autoritate afferri possent: Verùm satis superq; autumo jam pro hac Helenâ depugnatùm. Porrò quid opis operæ ve huic operi contulerim, sesquipedalibus non effero verbis. Hoc duntaxat brevibus præfiscini dico, me capitibus s. potius tmematibus, in quæ jam ante tractatus distinctus erat, addidisse tantummodo paragraphos, quos communiter Versiculos vocamus. Adjeci insuper (*Ob. Ciofanii in. Lucretio*, C. *Ritterhusii in Symmacho* si vera sunt, quæ tradit de eo

deco Joh. Erhardus sive M. C. Londorpius in Symbol. Petron. p. m. 781. mihi nondum licuit ipsum cernere, M. *Berneggeri in Tacito*, *Justino &c.* *J. Freinshemii in Floro &c.* *J. H. Böckleri in C. Nepote*, *Vell. Paterculo*; *J. Weizii in Dracontio*; aliorum in aliis adsiduis scriptoribus, vestigia secutus) indicem, quod Δράγμα appellatur, non omnium, sed selectiorum: poterit tamen aliquando absolutissimus is fieri, ubi, si Deus voluerit, curæ secundæ accesserint, & reliquiæ nævorum nonnullorum residuorum exactius beneficio saniorum exemplarium sublatæ fuerint. De Emendatione præsenti Animadversiones loquentur. Et sic nihil hâc vice amplius restat, quàm ut concludam, & quidem cum pio Fulgentio, magis ex animo quàm eleganter: *Si quid ad hoc opusculum collatum sit, quod placeat & sufficiat, vel si non sufficiat, saltim placeat, non est meæ indigentiæ, sed divinæ sufficientiæ: si quid verò ita collatum sit, ut nec sufficere tuo possit desiderio nec placere, non est sufficientiæ Divinæ, sed meæ indigentiæ.* Antequàm autem omnino finiam, non intactum relinquere possum, me, ubi animadvertero meos hosce labores non adeò mundo fuisse invisos aut ingratos, ejus generis plura, quæ in mundo partim consummata, partim affecta habeo, si per curas & valetudinem licuerit, Domino inspirante, publici etiam juris facere posse, ut sunt *Institutiones Justinianeæ*, *Cassiodori Variæ s. Codex Cassiodoranus*, *Böethius de Consol. Philos.*, *Ciceronis Orpheus*, *Enchiridion Epicteti & Tabula Cebetis cum absolutissimis indicibus* (quorum, Commentariorum vicè pensantium, quantus usus sit, inter alios docet *Joh. Vorstius* præf. ad Lect. præmissâ Corn. Nepoti, pronuper ab ipso edito); *Monotessaron s. Concordiæ*

cordia IV. Evangelistarum in primigeniâ linguâ ita in unum corpus consolidatorum, ut nec minutissimum quidem jota ullius illorum neglectum fuerit; *Fata regnorum Gothici & Vandalici* I. De eorum Origine, incremento & mutationibus; *Archontologia Cosmica* I. Historia præcipuorum Mundi Regnorum, Rerum publ. & Statuum â primâ origine ad nostra usq; tempora Chronologice & Genealogice, quoad ejus fieri poterit, deducta ex optimis Autoribus, quos indipisci licebit, deflorata; *Opera parentis mei Justi* P. M. omnia tam Juridica quàm Philologica, quantum eorum instar tabularum naufragii colligi quitum fuerit, & forte nonnulla alia. Tu interim, Lector Sincere, hoc Catone jam sis contentus favens linguis animisq;.

Ad Virum

AD
VIRUM
Excellentissimum et Amplissimum
DN. JOHANNEM BERNHARDUM
JUSTI. F. ZINZERLINGUM
J. U. D. & Polyhistora Clarissimum, Amicum Sincerum & Optimum,
Cum Cassiodori librum de Amicitiâ ederet.

AD calamum, Ad calamum. generosa silentia rumpe,
Et quædam seclo scribere digna para.
Ad calamum! mi *Zinzerlinge*, & te quoq; dignum
Crede ævo, ut meritum Te quoq; fama vehat.
Meta patet, stat palma tuo cessura calori
Tu modo perrupto carcere rumpe moras.
En tibi tot stantes in curriby Æmilianos
Omnes post tergum tu præeundo trahes.
Sume animos, stadio solus regnabis in isto
Atq; rotâ palmã mox propiore feres.

Serva

Scena patet, geminum pandunt Helicona sorores,
Consentesq; vocant ad sua tẽpla Deæ.
Cur doctas paries privus tibi strangulat artes,
Qui cedro poteras luceq; digna loqui?
Quid juvat abstrusæ mussantem inhiare papyro,
Osq; sonaturum magna tenere domi?
Dic aliquid, linguis quod mille reciprocet Echo
Fama, quod in seclum migret, & orbis amet.
Actor eris, mutum non famæ fabula nomen
Te cupit, in scenam Te quoq;, Amice, vocat.
Sunt equidem hîc Momi, sunt turpia nomina Mimi.
Hunc animo spernes tu meliore gregem.
Scribunt indocti doctiq; volumina passim,
Et quivis chartas Cercopithecus arat.
Par-

Parturiunt Montes & nascitur exiguus
mus.
Est tamen, hunc Lucam qui putet
esse bovem.
Jam placet æstivæ facundia rauca
cicadæ,
Et rudis altisonũ pulsat asellus ebur.
Jamq; omnes fatuis sylvæ sunt Consule
dignæ,
Et sapit ingenii pingue vomentis
opus.
Mille alis Famæ decrescunt Anseris alæ,
Milleq; nunc orbem stigmate prela
notant.
Innocuæ dira jugulantur arundine char-
tæ,
Totq; atramenti dolia crena bibit.
Inde tot in vulgus deliria, somnia, nugæ;
Et grandes abeunt, sed sine mente,
libri.
Sit vulgi furor hic: Tu rerum pondera
pandis:
Et partu seclum nunc meliore beas.
Resti-

Restituis nobis insignia Cassiodori
Rudera, AMICITIÆ queis sacra jura docet.
Publicus hic labor est, & nobis utile munus.
Tuq; illi famam condis, & ille Tibi.
Displicet utilitas in Amici nomine: Virtq;
Ornat amicitias sola, & honestus amor.
Sic statuant alii. Sed vestras Venditor atq;
Lector *Amicitias* utilitate probat.

f.

D. G. MORHOFIUS,
D. P.



MAGNI AURELII CASSIODORI.
SENATORIS, VIRI CLARISS. ET
ILLUSTRIS
Exquæstoris S. Palatii, Excos. ordinar.
Exmagistri offic. Præfecti Prætorio
atq; Patricii
LIB. DE AMICITIA.

PROLOGUS.

QUoniam diminutæ sunt veri- 1.
tates â filiis hominum; & refrigescente caritate multorum, vix aliquis in alio integritatem fidei experitur; vix invenitur dilectio, quæ non sit quæstuaria & venalis; Communi malo condolui, proponens mihi aliquid scriptitare secretius ad doctrinam & exercitium diligendi. Fodi E. *mihi fontem proprium,* 2.
ui non communicet alienus, de diversis Scriptori- *Prov.* 5.
bus quasi flores excipiens, ut mellificem mihi, plu- *15. 16.*
imumq; sententias, de *Amicitia*, & *Dilectione*
Dei ac proximi in unum compendiosæ lectionis
estringens involucrũ, non ns. conscientiæ meæ te-
timonio conglorians. Thesauro, quem absconditũ
eneo, præfiguravi titulum hoc sigillo impressio-
e signatum *Secretũ: meũ mihi, Secretũ meum mihi.* *Es.* 24. 16
ecurius quidem mihi est opusculum præsens in si- 3.
u meo quasi sub modio claudere, quàm exponere
lpebris æmulorum, & fasciculum, quem in-

ter ubera mea secretius tenere delectat, transferre
4. in theatrum & derisum. Scio enim, quod statim grunniet æmulus, & labio virulento submurmurans, compilationi adscribet, quod sic sententias Veterum jam senio caligantes, vel ambigui intellectus dubitatione perplexas studeo reducere ad evidentiam, ut quæ situ & neglectu vetustatis abolverant, ferventiore studio digerantur in materiam virtutis, & in fructum cælestis gratiæ coa-
5. lescant. Sicut enim in *libro Saturni* & in *epistolis* Senecæ sæpè legi, *Apes imitari debemus, quæ, floep. 84. ribus in varios succos mirabili naturâ digestis, novum in eos saporem, maximamq; virtutem, quâdam sui*
6. *spiritus proprietate transfundunt.* Iterum in *li*Afran. *bro Saturni Affranius* togatus scriptor in eâ toga in Com- tâ, quæ *Compitalia* inscribitur, suis respon-pital. dens detractoribus, dicentibus eum de libro Menandri, non sm. sententias, sed verba integra transsumsisse: *Transsumsi*, inquit, *sed ea, quæ*
7. *melius me posse invenire non credidi.* Et in eodem: *Quis fraudi Virgilio vertat? mutuatus est, quæ jam negligentia & vetusta longævitas abolesset.* Et post pauca: *Deniq; in hoc ipso commendandus, quia id, quod apud eum alumnum est, melius ibi, quàm*
8. *ubi natum est, sonare miramur.* Quæ E. in-Horat. vidia est, si inter sarmenta sterilia de vite veteri de art. plantaria eliguntur, quibus in ordinem complan-Poët. v. tatis, uberioris vineæ succession propagetur?
49. Verbum est Poëtæ: *Dixeris egregiè notum si callida*
9. *verbum Reddiderit junctura novum.* Quid E. æmulu

mulus detrahit & oblatrat, si sententias in sterili congerie & neglectu vetustiori squalentes explanet apertius diligentia modernorum? Et quas nuper fastidiebat legentis animus, ornatu elegantiore indutas, nunc voto avidius dicere auditor appetat etiam delicatus? Ruo contrà jam per æmulum meum: contra opusculum præsens *non sibilet lingua Serpentis antiqui: obstruatur os loquentis iniqua, obturentur aures aspidis*, & anticipet innocentiæ virus oculos Basiliſci. Gomor enim quod colligo mihi, nemini communico, sed illis duntaxat, quibus data est manifestatio Spiritus ad utilitatem; ut in simplicitate cordis hunc libellum familiarius, si velint, inspiciant; & si quid in eo invenerint scrupulosum, illud quæso limâ diligenter complanent. Subsannabit aliquis & arguet, quod senex amatoria ludam, quia *jam delibor*, & in membris meis responsionem mortis accepi. Sed Michal irridente nuditatem David saltantis, utinam ego cum David laudato *& viliora faciam, quatenus* cum eodem *in Sion arcam fœderis introducam*. Mihi tamen pro magno est, si vel paucos de massâ universitatis eorum, qui à seculari amore abstracti & sumti sunt, & effossis oculis crinibusq; abscisis in mola cum Samsone laborant, per hoc opusculum ineant fœdus Jonathæ cum David, & in svaviſſimo amore Christi à tribulatione malorum & dolore respirent. Nimirum ex quo Caleb adeptus est Hebron per Josue, populus quievit à prœliis. Cessant enim

Sap. 17. 9.
10.
Apoc. 12 9. *Ps. 62.* 12. *Ps.* 57, 4.
11.
Exod. 16, 16.
12.
2. *Tim.* 4, 6.
2. *Reg.* 6. 20.
13.
Jud. 16. 21.
1. *Reg.* 18. 1.
14.
Jos. 15, 13.

tentationum pugnæ, postquam contemplatione cor se ad fructum amoris incipit exercere.

15. AMORIS siquidem campus latius patet: Ex cæteris affectibus animæ rivos diffusiores expan-
16. dit. Amor enim est vis appetitiva rerum, quas desiderio eligimus et amplectimur ad fruendum. Amor a. in brutis animalibus, quæ â ratione alienа sunt, suos frequenter appetitus exercet; & licet FRUI specialiter sit in his, quæ ad Deum pertinere dicuntur; Paulus tamen Apostolus Frui verbo aliter utitur. Hic ad Philemonem scri-
Philē 20. bens dicit: *Ut te semper fruar in Domino, reficе.* Sanè Dilectio ex certo animi judicio vires capit:
17. Amicitia v. ex quadam vi diligendi cum electione rei, quæ diligenda est, ex deliberatione proce-
18. dit. Teste a. Tullio, *Amicitia est rerum humanarum & divinarum cum benevolentiâ & caritate*
Cic. de amicit. *summa consensio*: per Caritatem fortè mentis affectum intelligens, & per Benevolentiam, mutuæ obsequelæ effectum. Quod enim Ethnicus
19. hic nomine Caritatis eam intellexerit, quæ omnium mater & radix virtutum est, hoc esse videtur, quia sit causa, propter quam amicos nostros CA-
20. ROS appellasse solemus. Quidam Philosophi
Prov. inter summas perpetuasq; virtutes Amicitiam
17,17. collocasse leguntur: Quos Salomon videtur in Proverbiis imitari; Dicit enim: *Omni tempore*
21. *diligit, qui amicus est.* Unde B. Ambrosius: *Ami-*
Ambros de offic. *citia*, inquit, *quæ desinere esse potest, nunquam vera fuit.* Ideò qui vel lœsus desiit diligere, quem

ama-

amârat, amicus in veritate non fuit. Ille nimirum 22.
longè est à lege amicitiæ alienus, qui sic hodie
amat, ut heri oderit: sic omni homini amicus, ut
nemini fidus: hodie laudans, cras vituperans: ho-
die blandiens, cras mordens; hodie promtus ad
oscula, cras ad opprobria: cujus amicitia leviter
comparatur, & leni exsufflatur offensâ. Vera 23.
deniq; Amicitia in se solida est, & in omnibus a-
mici necessitatibus adest: compassionem & tole-
rantiam secum quadrans. Gratior ex compassi- 24.
one amicus, Apostolus, qualiter *coinfirmetur in-* 2. Cor.
firmis, scandalizatis couritur: & est illi tristitia 11,29.
magna pro fratribus suis, & dolor continuus cor- Rom.
di ejus. Verè amicus erat, nunc ut Magister cor- 9.2.
ripiens; nunc timens, ne sensus illorum corrum-
peretur; nunc eos cum dolore & lacrimis ad pœ-
nitentiam provocans; nunc eos, qui non pœ-
nitentiam egerant, lugens. Refert Tullius, 25.
vix tria vel quatuor amicorum paria in tot retrò secu- Cic. de
lis extitisse. Sed nemo miretur, inter infideles po- amic.
pulos raros fuisse amicitiæ veræ professores: Il-
lum enim ignorabant, qui Caritas, qui Amor est;
cujus *caritas diffusa est in cordibus nostris per Spiritum* Rō.5.5.
Sanct. qui datus est nobis. Verùm, ubi *vox Turtu-* 26.
ris audita est in terrâ nostrâ, vox annunciantis pacem, Cant.
annunciantis amicitiæ veritatem, atque dicentis: 2. 12.
Hoc est præceptum meum, ut diligatis invicem; mul- Es.52.7
ta millia hominum amicitias contraxere veraces, Joh.15.
diligentes se invicem honestius, verius, sanctius, 13.
prudentius & fortius, quàm Pylades & Orestes.

27. Nonne inter eos rerum divinarum & humanarum
erat cum caritate & benevolentiâ summa consen-
Act. 4. sio ? De quibus scriptum est: *Multitudinis erat cre-*
32. *dentium cor unum & anima una.* Nec quisquam
aliquid suum esse dicebat; sed erant illis omnia
28. communia. Etenim postquam Veritas prote-
Joh. 15. stata est, *Quod majorem hac dilectionem nemo habet,*
14. *quàm ut animam suam ponat quis pro amicis suis,*
paritas amicorum multiplicata est super nume-
rum. Quot enim jacturam non sm. rei familia-
ris pro fratribus suis in Christo passi, sed & cru-
ciatus corporis grataner amplectentes, pro ami-
29. cis animas posuerunt? In rebus humanis nihil A-
micitiâ dulcius invenitur, nihil sanctius appeti-
tur, nihil fructuosius custoditur: Habet enim
fructum vitæ, quæ nunc est, & futuræ. Ipsa
propriâ svavitate virtutes alias condit, adversa
temperat, prospera componit, tristiaq; jucundat.
30. Homo sine amico non habet, cui vota & affectus
suos communicet, cui conscientiæ suæ sinum, cui
solatium suum, aut aliquid de molestiis irruenti-
bus evaporet: Solus est, qui sine amico est;
Væ autem soli; quia, si ceciderit, non habet suble-
31. *vantem se.* E diverso, quanta est jucunditas,
Eccl. 4. quanta securitas, habere cum quo loquaris, ut te-
10. cum? cui arcanum committere possis? quem in tu-
is secretioribus habeas, ut teipsum? cui plenâ
securitate reveles, quantum in studiis spirituali-
bus à te ipso defeceris, aut profeceris apud De-
32. um? Quid deniq; desiderabilius, aut dulcius,
quam

quàm ut duorum tanta sit unio amicorum, quod
si alter corripiatur ab altero, vel laudetur, nulla in-
terveniat ira, nulla seditio, nulla inter eos formi-
detur criminis adulatio, sive suspicio? *Amicus fi-* 33.
delis (ait Sapiens) *medicamentum vitæ est.* Opti- *Eccl. 6.*
ma enim medicina est homini homo: qui ejus 16.
remediatur adversis, qui ejus condescendit in-
commodis: qui gravia levigat, qui amici o-
nera quasi injuncto humero simul portat. Nec 34.
enim verus amicus invitius propriam injuriam su-
stinet, quàm amici; verbum Philosophi Tullii est: *Cic. de*
Non aquâ, non igne, non aere pluries utimur, quàm *amic.*
amico. In omni studio, in rebus certis, in dubi- 35.
is, in omni eventu, in secreto, in publico, in o-
mni consultatione, domi & foris, &, ut multa
paucis concludam, in omnibus, quæ ad divina
pertinent vel humana, gratia mutuo diligentium
utilis invenitur. Audi Tullium: *Tanta est*, inquit, 36.
amicitiæ virtus, quòd ejus beneficio absentes amici sibi *Cic. de*
præsentes adsistunt, egentes abundant, valent imbe- *amic.*
cilles, & quod mirabilius est, mortui vivunt. Demum 37.
Amicitia est divitibus pro gloriâ, pauperibus pro 38.
censu, exulibus pro patriâ, imbecillibus pro virtute,
pro medicinâ ægrotis, mortuis pro vitâ. Sicut idem *Cic. de*
Tullius ajebat: *Solem videntur è mundo tollere,* *amic.*
qui de vitâ hominum amicitiam tollunt. Amicitia
enim quædam vita est hominum, sine quâ nullum
est vitæ humanæ solatium. Amicitia quidam 39.
gradus est hominibus ad Deum: dilectione enim
mediante, homo Deo approximatur, dum ex

40. hominis amico, Dei amicus efficitur. Audi Dominum ad eos loquentem, quos in proximi di-
Joh. 15. lectione firmaverat, & dicentem: *Jam non dicam*
15. *vos servos; quia servus nescit, quid faciat Dominus ejus: Vos autem dixi amicos: quia quæcunq; audivi à*
41. *patre meo, nota feci vobis.* Quæ omnia, sicut pleriq; Sancti adserunt, in Dei & proximi dilectione consistunt.

42. Illud autem sciendum est, quod in Amicitiâ verâ nihil est inhonestum, nihil simulatorium, nihil lucri temporalis aut venalis gloriæ lucrativum. Non enim Amor ille nomine vel honore Amicitiæ dignus est, qui alicujus mun-
43. danæ utilitatis obtentu contrahitur. Amicitia siquidem ipsa sui caussa est: ipsa sibi merces est, & longè infra fines amicitiæ amor ille subsistit, quem exspectatio ambiguosa, vel spes quæstuaria antecedit.
44. Fons sane & origo amicitiæ amor est, & quasi genus ad speciem. Nam cum amor sæpe sine Amicitia, Amicitia nunq; sine amore consistit. Amor itaq; quandoq; ex naturæ instinctu, quandoq; ex motu carnali, quandoq; ex officio caussam recipit, quandoq; verò ex ratione solâ, plerumq; etiam ex ratione & affectione
45. procedit. Natura ordinem amicitiæ modumq;
4. Esd. 1,28. præscribit: per hunc *mater diligit filium*: per
Matth. 23. 37. hunc *gallina congregat pullos suos*, portans eos in
Thr. 4. 3 humeris suis, *sed & Lamiæ nudarunt mamillas suas, lactarunt catulos suos.* Amor inclusit Jacob,
46. ut

ut plangeret suum filium Joseph. Naturali amore impulsus David plangebat filium parricidam, & dicebat: *Absalon fili mi, fili mi Absalon: quis mihi det, ut moriar pro te, fili mi Absalon?* Porro naturalis Amicitia modestiæ legem sæpe transgreditur, Dei & salutis suæ obliviscens, eximiâ teneritudine & affectione parentum. Ex officio contrahitur Amicitia, dum ratione dati & accepti inter amicos gratia coalescit. Sed timeat, quisquis veræ amicitiæ est Professor, ne sub libertatis obtentu, venenum amicitiæ venalis obrepat. Sanè pura & sola ratio amicitiæ causam ponit, cùm aliquos divinâ potiùs autoritate, quàm proprio affectu diligimus. Sic enim non solùm pacificos homines, sed dyscolos & perversos, qui nobis oneri sunt & dolori, pro Christo, qui dicit: *Diligite inimicos vestros, benefacite iis, qui oderunt vos*, brachiis sinceræ dilectionis in Christo amplectimur, eisq; sine omni fictione consulimus: condelcendimus afflictis, & eorum onera compassionis humero supportamus. Ex ratione simul & affectu amicitia generatur, ut aliquis, quem nobis dictat ratio, diligendum se propriâ virtute, & amabilem reddat; & amor, qui ex ratione castus est, ex affectione sit dulcis. Hunc verò amorem divinæ moderationis dispensatio introduxit; præcipiens homini, ut sic diligeret proximũ, sicut diligebat se ipsum. Unde quia in hoc effrenis & præceps erat humana voluntas, Deus ei frenum

Gen. 37, 33. *2. Reg.* 47. 18. 33. 48. 49. *Matth.* 5. 43. *Luc.* 6. 27. 0. 51.

num imposuit; &, ne ei liberum esset extra modestiæ limitem evagari, eum quem habebat, ad se
Matth. coarctavit affectum, & dilectioni proximi pro-
22.39. portione commensurabili coaptavit: *Diliges*, in-
† quit, *proximum tuum sicut teipsum.* Credo quod
Ps.10.5. teipsum diligas, si tamen diligas Deum: *Qui enim*
diligit iniquitatem, odit animam suam. Et sic neq;
52. diligit se, neq; Deum. Vide igitur, si hujus di-
† lectionis, quâ te ipsum diligis, putas mercedem
aliquam exigendam, profecto nequaquam. Quisqui sn. per se sibi carus est, nec intrinsecâ operâ indiger, ut ad se diligendum vehementius excitetur.
53. Ergo alium æquè ut teipsum diligas necesse est, ut
in eum transfundas illum, quem habes ad te, dilectionis affectum, ut sit tibi quasi alter tu.
1.Cor. Nec de hujus Amicitiâ fructus quæritur exterior,
13.8. cum ipsa sit *Caritas*, quæ *nunquam excidit, cujus*
§. *fructus est gaudium & pax in Spiritu Sancto.* Hunc
Gal. fructum insinuans Veritas, in Evangelio ait: *Posui*
22.Joh.vs *vos, ut eatis, & fructum afferatis, & fructus vester*
15.16. *maneat.* Sanè amor ex carne proveniens, sequi-
tur aures & oculos suos per varia fornicantes, atq;
per eorum aditus usq; ad ipsam mentem, rerum
5. concupiscibilium imaginem introducit. Sic
Ezech. more meritricario *divaricat pedes suos*, omni-
16.25. umq; Spirituum immundorum spurcitiæ se exponit, productæ vitæ sibi spatium pollicetur: & contemnit terribilia Dei judicia: & hoc solum vitæ suæ adscribit, & indulget extraordinariæ voluptati.

Sic

Sic animus adspectibus impudicis, verbis, & nu- 56.
tibus, & obsequiis illectus & attractus, in malum
miserabiliter captivatur: dumq; duæ mentes
quodam fœdere fœdo in unâ voluntate conflan-
tur, quod odibilius est Deo, & animo pernicio-
sius operantes, & in felices omnia lege amicitiæ
facere arbitrantur. Porro hæ amicitia non ex de- 57.
liberatione nititur, nec probatur judicio, nec ra-
tione regitur, sed sequens vagæ affectionis im-
petum, per illicita indiscretè raptatur, nimirum nec
modum tenens, nec serviens honestati, nec in- Esa. 19.
ter commoda & damnosa discernens (*Spiritu si-* 14.
quidem *vertiginis* ducitur) & affectus concupis-
centiæ flammis exæstuans quasi quibusdam furiis 58.
exagitatur. Hæc autem spuria & degenerans ami-
citia, quam scilicet libido contaminat, vel alterius
pestis reatus incestat, delectabilis quidem ad tem-
pus, sed perpetuo exitiales experitur affectus. Ci-
tò enim præterit quod delectat, & permanet sine
fine quod cruciat. Honesta ergo & casta con- 59.
trahatur amicitia; in hac enim omnia secreta
sunt, dulcia, pacifica, svavia & jucunda. Ami- 60.
citia, quam mundana cupiditas introducit,
fraudulenta est; nihil verum, nihil securum, aut
stabile habet: bona hominis amat, non hominem:
amorem metitur ex quæstu; fortunam votis am-
plectitur, non personam; juxta illud: *Non est*
personæ, sed prosperitatis amicus, Quem fortuna Eccl. 6.
tenet dulcis, acerba fugat. Teste S. Scripturâ, *est* 8.

amicus

amicus secundùm tempus, & non permanebit in die
61. *tribulationis.* Mortalis est hæc amicitia, quæ quanto accedentius consentanea cupiditati, tanto longius est à palatio amicitiæ relegata: licet in amicitiæ cultoribus plurimæ commoditates ex ipsâ soleant provenire; vera tamen amicitia in se ipsâ fructus suos constituit, omnemq; spem fu-
62. turi obventus merâ liberalitate præcurrit. A be-
2. *Reg.* neficiis siquidem, quibus Berfillai Gileadites Da-
17, 27. vid susceperit, fovit, & inter amicos præcipuos ini-
2. *Reg.* tiavit, nemo credit eorum amicitiam habuisse
19. 31. initium, sed causam præstitisse impensæ humanitati, tantæ amicitiæ præveniens affectum: notum quidem est, quod Rex ope illius non eguit: cumq; vir ille opulentissimus esset, nullam à Rege retributionem propter hoc exspectarat: unde cùm illi divitias & delicias totius civitatis offerret,
63. ille nihil suscipere acquievit. Sed & illud vene-
2. *Reg.* rabile fœdus inter David & Jonathan, non terre-
1. *seq* næ utilitatis exspectatio, sed approbatæ virtutis contemplatio consecravit: emersus tamen alterius utrobiq; profectus, ut vita unius alterius custodiretur industriâ, & uniusbeneficio alterius po-
64. steritas minimè deleretur. Non est E. amicitia in gestu, non in ostentatione, sed in veritate &
Am- fide. Audi B. Ambrosium: *Non est*, inquit,
bros de *amicitia vectigalis, sed liberalis: virtus enim est, &*
offi. *non quæstus: non pecuniâ conciliatur, sed gratiâ: non litigatione pretiorum, sed concertatione mutuæ*

bene-

benevolentiæ gignitur & fovetur. Est enim amicitiæ suavissimus fomes, sinceritas affectionum, mutua obsequela rerum honestarum, crebra collatio, parilitas voluntatum, jugis & inviolabilis fides. Certè Chusi Arachites amicitiam tantâ fide statuit extollere & fovere, ut solitudinem securitati præferret: mortis pericula & labores gaudio & quieti: præeligens amici communicare doloribus, quàm honoribus homicidæ. 65. 2. Reg. 15. 32.

Verbum Ethai Gethei erat, cum fugeret David, & diceret ei David, ut reverteretur: *Vivit Dominus, nec in vitâ nec in morte derelinquam te.* 2. Reg. 15. 19. seq.

Amori, qui ex concupiscentiâ carnis, aut ex concupiscentiâ oculorum, aut ex superbiâ vitæ causam & originem trahit, plerumque affinis est amor mundi: qui totus de solâ vanitate nititur, juxta illud: *Filii hominum quousq; gravi corde? ut quid diligitis vanitatem & quæritis mendacium?* 66. Ps. 4. 2.

Sunt & alii amores, qui ordinati si fuerint, approbantur, ut est Socialis, Fraternus & Conjugalis. Socialis, ut inter David & Jonathan. Amoris hujus affectio David urgebat ad planctum, ut diceret: *Doleo super te Jonatha frater mi, decore nimis & amabilis super amorem mulierum. Sicut mater unicum amat filium suum, sic & te diligebam.* 67. 2. Reg. 1. 26.

Frater & soror dulcissimi amoris vicissitudinem in se gerunt: ac mutuos & indivisos affectus consensu mutuæ voluntatis enutriunt. Sponsus & Sponsa domesticis affectionibus indissolubili fœdere 68.

pudi-

69. pudicitiam fidei jugalis observant. Notandum verò est, quandam amicitiam initialem esse, de quâ

Augustin. B. Augustinus scribit, eamq; describit, *Colloqui* scil. *atq; corridere amico, benevolè subsequi, vel legere, & conferre, dissentire inter se sine odio, sicut dissentit aliquis à seipso: desiderare absentes cum molestiâ, venientes cum lætitiâ suscipere, redamare amantem, præsentes defendere, excusare absentes, dentem detractorum recludere: atq; omnibus modis fervorem intimæ dilectionis fideliter exhibere.*

70. Porrò B. Augustinus quasdam hîc primitias adhuc teneræ dilectionis insinuat: cui boni & mali plerumq; communicant. Nam illa, de quâ loquimur, amicitia inter bonos tantùm oriri solet, inter meliores proficere, inter optimos consummare.

71. Deniq; si Amicitiæ inspiciamꝰ originem, à summâ naturâ, quæ Deꝰ est, suam traxit essentiâ. Deus quidem mentibus humanis primos amicitiæ impressit affectus: auxerunt eam usus & experientia, ip-

72. saq; Domini legis ordinavit auctoritas. Deus equidem summè bonus, summè potens, sibi in suâ beatitudine, quæ ipse est, in suâ ineffabili gloriâ sibi sufficiens, nec cælo nec terrâ nec angelo nec homine indiget. Eius nimirum sufficientiam o-

Ps. 15. 1. mnis creatura protestatur, & dicit: *Deus meus*

73. *es tu, quoniam bonorum meorum non eges.* Ipse enim omnium est existentium caussa, sentientium vita, intelligentium sapientia, amor & gloria

Ange-

Angelorum. Dignatus est hominem ad se amandum allicere, & ipsum per hæc visibilia ad appetitum suorum invisibilium invitare. Unde non 74.
solùm quatuor elementis, sed omnibus etiam creaturis quoddam amicitiæ vinculum æternâ ratione præscripsit. Bona enim non essent, nisi mutuò sibi quodam amicabili fœdere consentirent. Le- 75.
gimus autem, quòd *vidit Deus cuncta quæ fecerat,* Gen. 1.
& erant valde bona. Bona quidem sunt, in quantum 30.
à Deo sunt: Pulcra, in quantum unaquæque in hac universitate congruum sibi locum, tempus etiam sortitur & modum. Locum, quia Angeli 76.
obtinuere cœlum; irrationabilia solum; homo medius, paradisum. Tempus, quia Angeli in uno & eodem tempore facti sunt; homines diversis temporibus creati sunt; &, quantum ad animam, semper erunt: Irrationabilia verò nec simul facta sunt, nec semper erunt. Cæterùm 77.
rationabili creaturæ Deus indixit in hunc modum, ut, si justa est, beatitudinis particeps fiat; si iniqua est, æternæ damnationi subjaceat: Irra- 78.
tionabili & insensibili creaturæ hic à Deo præfixus est modus, ut, quia nec beata nec misera esse potest, prædestinatorum saluti subserviat, & infelicitatem accumulet præscitorum. Ideò 79.
proinde Sapiens dicit; *Aqua, ignis & ferrum, lac* Eccl.
& panis similagineus & mel, botrus uvæ, & oleum 39. 31.
& vestimentum, sicut omnia sanctis in bonum, ita impiis & peccatoribus convertuntur in malum.

Si

80. Si Deus est summum & incommutabile bonum, cui est semper idem esse (dicente Prophetâ: *Tu*
Ps. 102. *semper idem ipse es.*) Sic ordinat creaturas, ut
27. singula naturam habeant, quia bona sunt: speciem, quia pulchra sunt: usum, per quem bene ordi-
81. nata rationabili creaturæ proficiunt. In hoc autem vehementer admiranda & prædicanda est sapientia Creatoris: quia, cum nihil fecerit malum, ipse tamen mala nostra sic ordinat & disponit, ut nobis nocendo, non noceant; sed ad correptionem & ultionem nobis proposita, proficiant ad
Rom. 8. salutem, maximè iis qui diligunt Deum. *Diligen-*
28. *tibus enim Deum omnia cooperantur in bonum.*
82. Ipse verò incommutabiliter bonus & beatus solam rationabilem creaturam prævidit, & voluit esse beatitudinis suæ capacem, ut idonea sit ei adhærere, diligendo & sperando, cui imago est: atq; omnia desiderabilia sua in ejus notitiam & obsequium jactare: quem nosse, vivere; cui servire, regnare est.

Cap. I. Quòd omnes virtutes animæ dilectione dulcescunt.

TRia sunt, quibus Deo specialiter adhæremus: Memoria, Scientia seu Notitia, Voluntas a-
1. moris. In his tribus primus homo Deum in memoriâ tenebat sine oblivione; scientiâ cognoscebat sine errore; amare affectabat sine alterius rei cupiditate. Cumq; his tribus homo esset beatus; in tertio tamen, id est, amore Creatori suo tantò fami-

familiarius adhærebat, quanto dulcius *gustabat*, *quoniam suavis est Deus.* Quanto nimirum major fuerit boni delectatio, & tanto beatitudo: licet enim memoria multa præterita retineat, licet scientia profundissima percipiat; nulla tamen delectatio ibi est, nisi se dulcedo amoris infundat. In rebus itaq; ratione utentibus, Deus ordinat memoriam, scientiam & amorem: ut amor ex memoriâ & scientiâ convalescat, & illa duo in amore dulcescant. Ex his formatur & firmatur in hominibus quidam affectus in Deum, & inter se quædam blanda & socialis communio voluntatum. Demiq; in creatione hominis fœdus & vinculum sociale specialiter commendatur. *Non est*, inquit Deus, *bonum, esse hominum solum: faciamus ei adjutorium simile sibi.* Et ad majus & expressius amoris indicium, unius substantiam de alterius substantiâ propagavit: ideo et de latere Adæ socia eius assumta est: ut, qui collaterales erant essentiâ, essent vitâ & moribus coæquales. Sic namq; primi communis sensus iter postea quodam diligendi usu, quasi quodam gustu dulcissimæ suavitatis, adauxit. *Pſ. 33.9* 2. *Pſ 99.5* *Pſal. 144. 8.* 3. 4. *Gen. 2. 18.* 5. *Gen. 2. 22.*

Cap. II. Qualiter Dilectio prius deformetur peccato. postea reformetur.

Demum per eorum prævaricationes refrigescente Caritate cupiditas subintravit, quæ bona propria communibus præferens, suspiciones, æmulationes, contentiones & odia introduxit. 1.

Imago tamen creatoris, licet in homine sit corrupta, non est prorsus abolita: propterea memoriam habet, sed oblivioni obnoxiam; scientiamq;, sed errori subjectam; amorem quoq;, sed pronum
2. ad cupiditatem. Cœlesti siquidem justitiæ congruebat, ut, qui libero abusus arbitrio, amorem suum â vero & incommutabili bono, ad bonum fallax & transitorium deflexerat, similitudinem Dei sibi per rapinam usurpans, addiceretur similitudini
3. jumentorum. *Homo* enim, *cùm in honore esset,*
Ps. 48. 13 *non intellexit: comparatus est jumentis insipientibus, & similis factus est illis*: sic perfectum insolenter apperens, decidit in defectum: & præsumens Deo esse similior, ei dissimilis, & Deum perdidit, & seipsum, qualitercunq; beatæ Trinitatis ima-
4. ginem Dei. Anima enim hominis sui reminiscitur, se cognoscit, se diligit, & sicut scientiæ suæ reminiscitur, ac utramq; recognoscit, ut videas quasi in unâ substantiâ animæ unitatem; & in tribus scientiâ, memoriâ & amore, in quibus animæ substantia in Deo est, Trinitatis Imaginem.
5. Propterea credimus dixisse Psalmistam: *Veruntamen in Imagine pertransit homo, sed & frustra con-*
Ps. 38. 8. *turbatur*: insinuans, in homine esse Imaginem Dei ex naturâ, sed inesse corruptionem ex culpâ. Memoriam enim corrumpit oblivio; scientia obnubilatur errore; amor cupiditate degeneratur.
6. Sane soluto per Jesum Christum Salvatorem no-
Coloss. strum debito prævaricationis antiquæ, *deleto*
2. 14. *chiro-*

chirographo mortis, cujus obligatio nos tenebat adstrictos, *triumfatis* etiam *principatibus & potestatibus*, quibus nos addixerat Divina sententia, cœpit humana memoria reparari per Sacrum eloquium: scientia restitui per fidei Sacramentum: amor reficitur etiam per illius, quod crucifixus Christus in cruce nobis exhibuit, Caritatis exemplum. Urit autem reformatio, huius imaginis plena: 7.
ubi memoriam non interpolabit oblivio: nec obnubilabitur scientia errore: nec amorem Dei rei alienæ cupiditas depravabit. In primâ hæc erunt, ubi nullus erit locus oblivioni viventibus in æternitate: nulla subreptio erroris fruentibus veritate: nulla cupiditatis titillatio absorptis â Caritate. Ibi erit summa pax, plena requies, æterna felicitas, felix & jucunda indeficiensq; tranquillitas. Interim ad Amicitiam revertentes, dicimus, quod Amicitia oritur, conservatur atq; perficitur inter eos duntaxat, qui *Sobrie, Pieq; & Juste vivunt in hoc seculo*: nihil inhonestum volentes petere vel patrare: nihil agere, seu consulere, aut consentire, quod displicere Deo, vel in animæ discrimen, aut commune incommodum sentiant redundare. Et in hoc quorundam sententia reprobatur, qui contra fidem, aut contra honestatem, seu contra Rempubl. bonumve commune amicitiam censent ineundam. Certè secundùm leges Saul fidem domino suo laudabilius servârunt, nolentes parere atrocitati ejus in effu-

† 8. Tit. 2. 12 9. 10.

1. Reg. 22. 9. 11. 2. Reg. 13. 3. 12. 2. Reg. 13. 16. † 13. fusione sanguinis sacerdotum, quam Doeg Idumæus, qui eiusdem sacrilegii malitiâ se ad imperium Domini sui pariter inquinavit. Jonadab amicus Ammon consilio suo suggerens, & procurans illius incestum, dum ad turpitudinem obsequium præstitit, crudeliter legem amicitiæ violavit. Patet amicos Absalon sanctæ fuisse Amicitiæ transgressores, qui in regem, suis in regnum prælia excitantes, cum Absalon perduellionis flagitium incurrerunt. Erubescant itaq; veræ nomen amicitiæ profiteri, qui eam vitiorum assensu vel cooperatione contaminant, & honestatis vocabulo utentes, mutuæ gloriam amicitiæ sibi sacrilegâ præsumtione usurpant Porrô qui nõ amat, amicus non est. Ille autem non amat, imò procul dubio animam odit, cujus amat iniquitatem, & ita neq; alterius amat animam neq; suam.

Cap. III. De Electione Amici, & quæ illam impediant.

1. In contractum amicitiæ multa veniunt, ex quibus formatur amicitia, & firmatur, atq; continuum in se recipit incrementum. Cùm enim amicum talem esse oporteat, cui cor tuum & omnia cordis arcana committas, prius est eligendus, deinde probandus, deinde admittendus, summâ tractandus reverentiâ, & continuâ devotione colendus.

2. Ut autem in amicitiâ ordinatè universa procedant, ideò primitus, vel in fundamento dilectionis primitiæ consecrentur, postea verò electione, probatione, consensu etiam, & jugi familiaritate amicitia foveatur: ut fit in eâ non

non solùm stabilitatis, sed quoddam æternitatis exemplar. Sic E. tu illius, & ille tuus sit, ne 3.
in Spiritualibus inter vos, neq; in corporalibus obrepat aliqua animorum, sententiarum, affectuum verborumq; dissensio. Amicitiam enim firmant atq; perficiunt electio, probatio, ad missio rerum divinarum & humanarum cum benevolentiâ, & caritate plena consensio. Ad electio- 4.
ne autem pertinet, ut nullus in amicitiam eligatur, cuius opinio alicujus criminis enormitate laborat: poterit tamen eligi & admitti, si aliàs sit commendabilis vitæ, & facilè sanari valeat â vitio, cujus nævus mores ejus commendabiles decolorat. Sunt autem quatuor vitia, quibus præ- 9.
clarus honor amicitiæ sæpius obfuscetur: Iracun- *prov.* 22.
dia, Instabilitas, Suspicio, atq; Garrulitas. *S.* Scri- 24.
ptura de iracundo sic dicit: *Noli esse amicus* *Hor.* 3.
iracundo. Ira enim *furor brevis est.* Unde eadem *epist.* 7.
Scriptura subjungit: *Ne ambules cum homine furioso:* *Eccl.* 7. 10.
Ira (inquit sapiens) *in sinu stulti requiescit*; & supra: *Eccles.* 6. 9.
Est amicus, qui odium & rixam atq; convicia denudabit. Verum quidam ex propriæ complexionis 6.
naturali conditione iracundi sunt: sui tamen motum animi usq; ad ea, quæ testimonio Scripturæ dissolvunt amicitiam, procedere non permittunt. Tales, quamdiu certa est affectio, patienter expedit tolerare, & excessum verbi aut operire blandè corrigendo & benignè docendo, vel dissimulare patienter, vel amicabiliter indulgere. Ex vitio 7.

iracundiæ prodire solent 5. vitia, quorum singulis amicitia sæpè dissolvitur; & quasi hydræ capita pullulare. Hæc sunt: *Convitium*, *Improperium*, *Superbia*, *Revelatio secreti & Plaga dolosa*. Audi
Eccl.22. 25. non mea, sed S. Scripturæ verba, dicentis: *Qui convitiatur amico, dissolvit amicitiam.* Veruntamen,
8. si amicus aliquâ subreptione præventus, verbum aliquod triste protulerit, in his & similibus amicitiam dissolvi non expedit. *Est enim adhuc*, ut idem
Eccl.22. 27. Sapiens ait, *concordia ad amicum, excepto convitio, improperio, superbiâ, mysterii revelatione & plagâ dolosâ.* Ideò autem *Convitium* vulnerat Caritatè: quia,
9. quicquid irâ instante aliquis dixerit in amicum, verum existimatur ab aliis: eò quòd propalatum sit
10. â conscio secretorum. *Improperium* verò detestabile est, cum quis falsa objiciens perfudit confusibili rubore innocentiæ faciem; gravans ejus opi-
11. nionem exterius, & interius caritatem. *Superbia* humilitatis inimica est: eo potissimè detestanda, quia remedium pœnitendi, aut humilitatem confitendi excludens, reddit hominem audacem ad injurias; ad correctionem & consilium contu-
12. macem, Deniq; *Mysterii vel secreti revelatio* exsecrabilis est: amicos enim amovet, amaritudine odii aut indignationis adspergens. Ideò Sapiens
Eccl.27. 17. dicit: *Qui denudat arcanum amici, perdit fidem*; & paulo post: *Amici Mysterium denudare, desperatio*
Eccl.27. 28. *est animæ infelicis.* Reintegratio enim amicitiæ desperanda est in eo, qui primam fidem irritam fecit;

cit: &, revelando quæ sibi commissa fuerant tanquam Deo, multa turbavit. *Plaga dolosa* morsus est Serpentis & Aspidis. Verbum enim Salomonis est: *Si mordet serpens in silentio, nihil eo minus habet, qui detrahit in occulto.* 13. *Eccl. 10 11.*

Cap. 4. Exempla eorum, quæ amicitiam impediunt.

Et de Convitio & Improperio atq; cæteris subjiciamus exempla: recolamus, quod, cùm Simei persequeretur convitiis David à facie Absalon fugientem, inter verba David testamentaria Simei mortis supplicio addixit, sui sceleris in exemplum. De pœnâ Improperii habes, quia, cùm Nabal Carmelus improperasset sancto David, quod esset servus & fugitivus, idem Nabal à domino percussus interiit. Pœnam superbiæ habemus in Ammon filio Nahas regis filiorum Ammon: Cùm enim Rex David diu cum rege Nahas amicitiam coluisset, & eo mortuo, filio ejus Ammon fœdus amicitiæ obtulisset, ille superbus & ingratus amico contumeliam adjecit contemtui. In cujus criminis ultionem David eum & populum eius, urbes etiam ipsius igne & gladio devastavit. De Revelatione secreti exemplum habemus in Achitophel, qui consentiens filio parricidæ, cùm ei patris sui David prodidisset consilium, dignum flagitio proditionis finem imponens laqueo se suspendit. De veneno Detractionis exemplum habemus in Mariâ sorore Moysi, quæ cùm fratri suo præsumtuosè objurgando, detraxit, Deus lepra

1. *2. Reg. 16. 6.*
2. *Reg. 19. 19.*
3. *R. 8. 2.*
2. *1. Reg. 25. 38.*
3. *2. Reg. 10. 1. seq. 2. Par. 20. 2.*
4. *2. Reg. 17. 23.*
5. *Num 12, 10.*

Deut. 24. 9. leprâ percussam & castris ejectam 7. diebus â populi communione præclusit. Non solum iracundi, sed instabiles & suspicioſi debent esse ab electione alieni, cùm magnus sit amicitiæ fructus,

6. securitas. Quare credis, & committis amico? quomodo potes esse de amore illius securus, qui circumfertur omni vento, qui Prothei vultus totâ die induit, & in eadem voluntate, vel etiam ad

7. modicum, non subsistit? Suspicioſi quoq; longè sunt ab electione amicitiæ relegandi. Nihil enim amicitiæ magis congruit, quàm quædam pax, & quieta tranquillitas cordis. At suspicioſum semper curioſitas inquietat, timoris stimulos suggerit, & multiplicē turbationis materiam subministrat.

8. Si enim amicum viderit alii secretius colloquentem, proditionem putat: Si amicum se aliis benevolum & jucundum viderit exhibentem, se contemni existimat: correptionem amici interpretatur contumeliam: laudem vero irrisionem: sic in

9. omnibus perversus, universa pervertens. Linguoſos ad amicitiæ secreta non arbitror eligendos:

10. Ps. 139. 11. prov. 29. 20. *Vir* enim *linguoſus non dirigetur in terrâ*; &, testimonio Sapientis: *Si videris hominem promtum ad loquendum, non plus de ipso sperare poteris, quàm de*

11. *ſtulto*. Talem itaq; tibi eligas in amicum, qui tuis moribus, qui tuæ honestati conveniat; Nam, teste

Ambroſ. B. Ambroſio, *inter dispares amores amicitia esse non potest*. Licet autem Iracundia, Instabilitas, Suspicio & Acerboſitas frequenter soleant electionem

nem amicitiæ impedire; mihi tamen videtur, non esse ab hac electione amicitiæ repellendos, qui patientiâ reprimunt iracundiam, levitatem debitâ gravitate coërcent, qui verâ dilectione suspiciones evacuant: & istos probatiores crediderim, & potiùs ad amicitiam eligendos tantoq; devotius amplectendos, quanto fortius cohibent vitia virtutibus, & pugnantes contra se, voluntatibus propriis dominantur.

Cap. 5. De fide Amicitiæ, & quæ in Amicitiâ diligenda sunt.

Probatur Amicitia *Fide, Intentione, Discretione, Patientiâ. Fide*, per quam & omnia ei, quem diligis, sine omni suspicione communicas. *Intentione*, ut nihil ex amicitia, nisi Deus & naturale bonum, cujus ipse autor est, exspectetur. *Discretione*, quid amico præstandum sit: in quibus etiam pro amico tristandum, vel in quibus ei congratulandum; in quibus deniq; corripiendus sit. *Patientiâ*, in quibus & qualiter tolerandus, diligenti cautelâ & exquisitâ examinatione disquiras. FIDES in amicitiâ maximum locum tenet: ipsa in lætis & tristibus, atq; in quolibet vitæ statu se præbet æqualem; intuens eodem oculo amicum divitem aut mendicum; fortem aut debilem; sanum aut ægrum; humilem aut sublimem. Ipsa tamen ad ea, quæ intra animum amici sunt, diligentiâ propensiore attendit, oculoq; acutiori adspicit: Ea verò, quæ extra animum amici sunt, non multùm considerans;

1.

2.

3.

rans; si affuerint, non magni facit; si abfuerint,
5. non requirit. Sunt autem circa animum homi-
nis, morum gratia & virtutes: extra animum,
pr.27.21 fama, divitiæ honoresq;. Et notandum: *Sicut au-*
Eccl. 12, *rum in conflatorio*, sic fides in necessitate *probatur.*
9. Scriptum est enim: *In necessitate probatur amicus;*
prob.14. & idem: *Amici divitis multi:* sed in divitiis fides a-
20. micitiæ latet: qui famulatoriè amat, in prosperis
6. erit amicus; adversarius in adversis. Deponat lar-
vam dilectionis hypocrita in procellâ turbinis, &
faciem subornatæ familiaritatis retegat, qui nunc
simulatè obsequitur, & se ad veræ amicitiæ regulam
7. sophisticè commetitur. Verbum Salomonis est:
pr.17.17 *omni tempore diligit, qui amicus est; & semper fra-*
prob. *ter in angustiis comprobatur.* Et arguens infi-
25. 18. delem Deus, inquit: *Putridus dens & pes lassus, qui*
8. *sperat super infideli in die angustiæ.* Non solum
per adversitatem, sed etiam silentio secretorum
examinatur amicitiæ fides. Evangelica quidem
✠ sua sententia est: Quod *qui in modico fidelis est, &*
Luc. 16. *in multo fidelis erit.* Si E. fidem amici experiri vo-
10. lueris, non ei prius tui cordis arcana committas;
sed aliqua exteriora & modica, de quibus non
magnum emergat dispendium, si fuerint revela-
ta: & ea nihilo minus sub eâ cautione & admina-
tione terribili credas, acsi obessent prodita, &
celata prodessent. Probatur igitur in minoribus,
10. dum securius poteris in majoribus experiri. De-
niq; si fama siniſtrũ aliquod de te divulgaverit, aut

per-

percunctator aliquid turpitudinis tibi absenti intulerit, & ille nullatenus inclinari valeat ad credendum nullâ moveri suspicione, nullâ dubitatione mutari, quòd fides eius certa sit & stabilis, nulla tibi debet cunctatio superesse. Legimus in libro Valerii Maximi quendam suggessisse Platoni, quòd Xenocrates ei multipliciter detraxisset, & hoc ipsum relator offerebat juramento firmare; cui Plato: *Non est credibile, quòd me non amat fideliter, quem fideliter amo.* Cumq; criminator instaret, Plato subjecit: *Et si hæc in me dixit, hæc ipsa mihi expedire cognovit.* Ægrotabat Alexander, & de communi sententiâ medicorum, Philippus medicus & amicus eius medicinam suis confectam manibus porrigebat: supervenerunt literæ Parmenionis hortantis, ut Rex caveret Philippi insidias, utpote quem Darius pecuniâ corrupisset. Quibus lectis ille hausit incunctanter: & tunc tradidit Philippo literas legendas. 11. *Val. M.* 4. 1. 12. *Val. M.* 3. 8.

Cap. 6. Quibus modis probatur intentio diligentis. 13.

Restat inspicere, qualiter INTENTIO sit probanda. Sunt enim, qui non intendunt aut sperant in amicitiâ, nisi quæstum. Tales enim amicos suos diligunt, sicut bovem aut asinum suum: de quibus exspectant non gratiam, non pacem mentis captare, sed lucrum. Illius itaq; quem in sacrarium tuæ familiaritatis proponis admittere, probetur intentio, ne spe commodi temporalis inire tecum amicitias velit. Venalis est enim intentio,

& non

2. & non gratuita. Propterea solidiores inveniuntur plurium pauperum amicitiæ, quàm magnatum. Divitibus enim equidem assentatione gratificatur à multis. Nullus verò erga inopem simulatione agit, sed tanto purior est erga pauperem caritatis affectio, quanto nulla circa eum sub-
3. est adulationis aut simulationis tractatio. Si videris hominé aliquid anxiè appetentem, quod per te præstare vel per alium possis, nunc in huiusmodi casu ex risu ficto, nunc ex reverentiâ & obsequio negligentiore ambitiosæ mentis ægritudo poterit deprehendi DISCRETIO inter amicos plurimùm necessaria est. Sicut enim navis sine remige; sic Spiritus amicorum sine discretione, motu quo-
4. dam irrationabili & instabili circumferuntur. Tales sunt, qui leves amicorum erratus ferunt impatienter, austerè corripiunt: & in suis actionibus præcipites, negligunt magna, contra minima inflammantur: & omnia confundentes, non personam, non locum, aut tempus, seu causam ignorantiæ, aut necessitatis attendunt. Talis indiscreto animi motu nescit, quibus, & quando rem publicare debeat, aut celare.

Cap. 7. Quod patientiâ probatur amicitia.

1. Probetur autem amici PATIENTIA, si opportunum videris, eum durius arguendo, ut exerceatur eius patientia, & probetur. Quòd si quandoq; in tacitâ secreti revelatione, vel aliquâ levi transgressione offenderit, non ideò ab electione vel dilectione

one resilias, quamdiu aliqua correctionis spes superfit. Nec te in eligendis aut probandis amicis decet exactissimâ deliberatione versari, aut cùm tali studio præcipias desiderabilem fructum: medicamentum scil. vitæ & jugis lætitiæ soljdissimum fundamentum. Vide autem, sicut frequenter accidere solet, ne quidam amoris impetus probationis spatium præcurrat, & præcludat probandi judicium. Vir itaq; prudens paulatim cohibeat & refrenet hunc impetum, cui benevolentiæ modum imponens, & regulam, discrete in affectum transeat: & se tandem amico, præmissâ probatione, committat. Necessaria demum probatio est inter homines parùm bonos, vel ubi est malorum bonorum vè commixtio. Sed examinatione non indigent, quos probavit Deus, quorum jam conversatio est in cœlis: quos unius moris facit in domo regularis conditio, æqualitas voluntatum, fida & certa communio caritatis. Inter quos quisque sic alium diligit, ut seipsum: atq; omnium exultatio, affectione mutuâ, propria efficitur singulorum: ubi universitatis gaudium, quod de conscientiæ bonæ testimonio interiore contrahitur, communione caritatis, & amicitiæ beneficio: quibuslibet facit suum.

2. † 3. † 4. 5.

Cap. 8. Quibus modis amicitia sit fovenda.

Fovenda est amicitia cum exactissimâ solicitudine & cautelâ. Inprimis omnis ab eâ relegetur suspicio: ipsa enim amicitiæ venenum est. In hoc

6.

hoc E. noſtræ mentes quaſi in petrâ ſolidiore firmentur, ut maledicenti de illo nec credere, nec vel in modico conſentire poſſimus. Si videres aliquem alios omnes habere ſuſpectos, in ſingulis ſuſpicantem proditionis inſidias, nullum diligentem, nec ſe diligi ab aliquo exiſtimantem, nonne hunc
2. damnabiliter miſerum reputares? E diverſo eum feliciſſimum puta, qui ſic amat omnes, ut amari videatur ab omnibus: ut ſuæ mentis tranquillitas nullo timoris aut ſuſpicionis ſcrupulo moveatur. Sic E. fovenda amicitia, ut ſit in noſtro ſermone jucunditas, hilaritas in vultu, ſvavitas in moribus; & in ipſo aſpectu quidam color favorabilis, & grata jucunditas: Sit in honeſtis rebus crebra collatio, communicatio arcanorum,
3. & in alternis voluntatibus mutua obſequela. Ve-
Joh. 15. ritas in Evangelio loquens: *Jam non dicam*, inquit,
15. *vos ſervos: quia ſervus neſcit, quid faciat Dominus eius, vos autem dixi amicos: quia omnia, quæ-*
Joh. 15. *cunq; audivi â patre meo, nota feci vobis.* Et rur-
14. ſum: *Vos amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ præcipio*
Ambr. *vobis. In his verbis*, ſicut ait B. Ambroſius, *dedit nobis Veritas formam, quam ſequamur, ut ſecreta revelemus invicem, & amicorum voluntatem mutuam*
4. *faciamus.* Amicitia itaq; vicaria congratulatione nutrietur, &, ſi ſeverior amici facies quandoq; maturam exhibeat gravitatem, ipſa gravitas tantò commendabilior erit, quanto benignius ad effectum deſcendet ſocialem; nec mirum: lex enim

amici-

amicitiæ ſuperiorem humiliori eo humiliat, & qui ordine dignitateve præeminuerit, pleno humilitatis ſpiritu iunioribus condeſcendit.

Cap. 9. Quod Dei aut Naturæ dona, & non alia, ſunt in bonis diligenda.

Exiſtimet autem homo bona Dei & Naturæ munera reputanda ſpecialiter in amico: & omnia, quæ extra hæc ſunt, pro nihilo æſtimentur. Amicitia namq; non gemmis ornatur, aut ſericis: non deliciis impinguatur, non tumeſcit honoribus, non amplis poſſeſſionibus dilatatur. In amico igitur conſideretur æqualitas, non fortunæ circum pœnitentia vel accidentia requirantur. Sed ſic amicorum paritas inter amicos univerſa diſponat, ut deſcendat ſublimis, humilisq; aſcendat: diveſcat pauper, dives indigeat: & ex compari affectuum communione fiat æqualitas, ſicut ſcriptum eſt: *Qui multum habuerat, non abundavit; & qui modicum, non minoravit.* Lex amicitiæ eſt tanto reverentius amicum ſuſcipere, quanto majore neceſſitate intelligit laborare. Jonathas amicus David, non ſucceſſionem in regno patris quærebat; ſed, quem in amicitiam ſuſceperat, â patre fugatum, morti addictum, in antro abſconditum, ſibi ad regni gloriam præferebat: *Tu eris*, inquit, *Rex: & ego ero ſecundus poſt te.* Audiant homines venerandum amicitiæ verbum & imitatione digniſſimum. Saul David quærebat ad mortem; & proditionis arguens ſacerdotes, eos ſolos ſuſpicio-

1.

2. ✠

2. Cor. 8. 15. Exod. 16. 18.

3.

1. Reg. 23. 16.

4.

1. Reg. 22. 11

ſpicionis intuitu cruci dabat. Rupes & montes & valles & nemora militibus obſidebat, omnesq; principes conjurare in David exitium compellebat. Solus Jonathas, qui David, quaſi æmulo & exheredatori ſuo, invidere poterat aut offendere, reſiſtebat Patri, deferebat amico, præbebat afflicto ſolatium; & amicitiam regno præferens: *Tu eris*, inquit, *Rex, & ego ero ſecundus poſt te.* Urgebat Saul Jonathan conviciis, urgebat terribilibus minis, ut amicum David in ejus odium provocaret. Cumq; Saul mortis ſententiam dictaret in David, Jonathas quaſi à ſententiâ paternæ inhumanitatis diſcedens inquit: *Quid fecit?* etiam locutus eſt bona de eò, dicens: *Opera ejus ſunt bona tibi valdè, & poſuit animam ſuam in manu tuâ; & percuſſit Philiſtæum. Vidiſti & lætatus es. Quare E. morietur?* Saul v. in veſaniam verſus, niſus eſt eum lanceâ confodere. Et Jonathæ ſuperaddens, vocavit eum *filium mulieris, virum ultrò rapientis.* Adjecit etiam, quod *diligeret David in confuſionem Jonathæ, & ignominioſæ matris ejus*, totumq; invidiæ virus evomens, atq; ambitionis & odii ſuscitare cupiens incendium! *Quandiu*, inquit, *vixerit filius Iſai, non ſtabilietur regnum tuum.* Quem non moverent hæc verba? cujus amicitiæ nó depravarent modum? Quis ſe & generationem ſuam alii non præferret? Quis fidei compromiſſum in hac parte non rumperet? Porrò fortis & verus amicus, ad convitia patiens, & ad minas, amicum filiis, & hono-

5. 1. Reg. 23, 17.
6. 1. Reg. 20, 32.
1. Reg. 19. 4. ſeq.
7. 1. Reg. 20, 33.
1. Reg. 20, 30.
1. Reg. 20, 31.
8.
9.

honorem ejus honori proprio anteponens in omnibus, meretur gratiæ incrementa: *Tu eris*, inquit, *Rex; & ego ero secundus post te.* Teste Tullio: *Quidam erant, qui præferre pecuniam amicitiæ sordidum existimabant.* Illos autem erat impossibile reperiri, qui honores, magistratus, imperia, potentiam amicitiæ postponant. Imbellis enim est mens & natura hominis ad oblatam sibi potentiam contemnendam. Sed inventus Jonathas, victor naturæ, &, contra naturam, contemtor potestatis & gloriæ. Hæc est amicitiæ natura stabilis & æterna, quæ fit tanta, ut arietibus & machinis pulsata non nutet, non suspicione moveatur; ut non ambitione, non injuriis, non comminationibus, vel improperiis lacessita vacillet. Sic amicitia æqualitate fovetur. Unde B. Ambrosius: *Defer amico*, ait, *ut æquali: nec te pudeat amicum prævenire officio.*

10. Cicer.

11. Ambros.

Cap. 10. Quanta liberalitas in amicitiâ requiratur.

Lex amicitiæ est, sicut Scriptorum clamat autoritas, ut non nisi honesta petamus ab his, quos in amicitiæ sinu recipimus, iisq; postulantibus aliquid sine difficultate & dilatione consensum & convenientiam commodemus. Scriptum est: *Perde pecuniam propter amicum.* Si pecunia pro amico perdenda est, multo fortius ejus commodis & necessitatibus exhibenda. Porro non omnes per omnia, sed certi per certa ditiores aut paupe-

1.

Eccl. 29, 13.

2.

riores inveniuntur; ideoq; non omnia possumus omnes. Abundat iste pecuniis, ille agris, alter honoribus, alius plus in consiliis potest, alius in familiaritate potentum. Quicquid amico impenderis, nunquam improperes, recolens id Jacobi verbum: *Si quis* (ait) *indiget sapientiâ postulet à Deo, qui dat omnibus affluenter, & non improperat.*

Jac. 1. 5.

3. Quoties igitur amicum ditaveris, non avertas faciem, non frontem obducas, non oculos deponas, non mercedem expectes, non differas, aut prolonges; sed hilari vultu, serenâ facie & sermone jucundo condire studeas munificentiam tuam, & quasi voluntatem petentis præsagiens, occurras,

4. & desiderium ejus præcurras. Animus ingenuus nihil magis erubescit, quàm petere. Cùm E. tibi debeat esse cum amico cor unũ & anima una, observandum est, quòd sit una cũ amico pecunia. Si petitur, beneficiis prævenire curemus, ut ille qui accepit, potius videatur præstare gratiam, quàm ille qui

5. dedit. Booz advertens inopiam Ruth Moabi-

Ruth. 2. 8. seq. tidis colligentis spicas post messores suos, alloquitur eam, consolatur, & invitat ad convivium puerorum & puellarum suarum, ejus etiam verecundiæ parcens præcipit messoribus spicas de industriâ relinquere, quas illa possit sine pudore colligere.

6. Sanè in hac liberalitate neminem paupertas excusat: & utinam omnes essent pauperes Spiritu. Uberior enim esset in beneficiis mutuæ benignita-

Plato Seneca tis obventus. Sapiens dixit: *Felicissimam hominum agerent vitam, si duo sublata essent de medio:*

MEUM

MEUM & TUUM. Seneca refert in libro de Beneficiis, quod, cùm multi multa pro suis facultatibus datori suo Socrati obtulissent, Æschines pauper ejus auditor: *Nihil*, inquit, *dignum, quod dare tibi possim, invenio, & in hoc uno me pauperem sentio. Hoc solùm quod sum, id est meipsum, tibi do. cæteri multa dederunt tibi, sibi plurima reliquerunt: ego quod sum & quod habeo, totum dono.* Cui Socrates: *Magnum mihi munus dedisti, nisi te parvi existimes; gratum donum est, & illud melius reddam tibi.* De suo itaq; dedit, qui quid dare de bonis fortunæ non habuit. Et sic inter paupertatis angustias, liberalitas materiam largitatis invenit. Si E. Christi filius es, aut Petri discipulus, ut possis dicere: *Aurum & argentum non est mecum*; habeo tamen quid auro pretiosius & argento, potes pro amicis stare, consolari afflictos, lapsos erigere, compati patientibus, & gaudentibus congaudere: potes docere ignaros, propitiare dyscolos, pusillanimes roborare.

7. *Sen.* 1. *de benef.* 8. 9. 8. 9. *Act.* 3. 6.

Cap. II. *Quali discretione & cautelâ beneficiandi sunt amici.*

Illud autem inter amicitiæ mandata providâ dispensatione curetur, ut, cùm omnes amicos diligas, non tamen omnes munificentiâ æqualiad beneficia vel honores oblatâ opportunitate promoveas (sunt equidem pleriq; , qui se non diligi conqueruntur: & queruntur haberi se contemtui, si alios, & non se, viderint curis & officiis implicari.)

1.

Sed quid & quantum ille, cui donaturus es, ferre
2. valeat, & sufficienter implere discernas. Multos nim. in amicitiæ sinu recipimus & fovemus, quos sine dispendio famæ nostræ, sine ipsorum periculo, sine scandalo communi ad eminentiam, quam appetunt, erigere non valemus. Virtutem itaq; & prudentiam hominis nos metiri oportet: ut in distributione bonorum prævaleat ratio; non affectus. Suas tamen partes in talibus obtineat liberalis affectio, ubi virtutum æqualitas invenitur; aliàs tamen nemo existimet se contemtum, si ei melior præferatur. Sanè Dominus
3. Joh. 13. 6 Joanni prætulit Petrum: Nec affectum subtraxit
Matth. 16, 18. discipulo quem diligebat, Petro conferens Principatum. Claves regni cælorum Petro contulit,
Joh. 1. 7. seq. ut cælum aperiret & clauderet: Joanni verò nobis
Joh. 21. 16. aperiendi sua arcana pectoris facultatem reseravit. Petro commisit curam & regimen Ecclesiæ suæ:
Joh. 19. 26. Joanni verò curam & custodiam matris suæ. Pe-
4. Ioh. 21. 19. trus ergò sublimior; sed Joannes certior. Petrus exponitur actioni; Joannes affectui. Petro
Ioh. 21, 23. Dominus suam passionem indicat, prædicans, *quod alius cingeret & duceret quò non vellet.* De
Ioh. 13, 25. seq. Joanne: *Si eum volo manere, donec veniam.* Non audet Petrus inquirere à Domino, quis eum traderet: Joannes autem innuente Petro (quod princeps Apostolorum inquirere verebatur) confiden-
5. ter interrogat. Tali E. modestiâ & tam providâ consideratione distribuantur inter amicos officia,

ficia, ut omnibus præsit ratio, non affectus: & juxta omnium facultatem, quid unicuiq; sit portabile aut utile, discernatur. Ideò omnibus tamen æqualis affectio impendatur, quia secundùm mores, & convictum, & merita hominum, nobis certa diligendi forma præscribitur. Diligebatur 6.
Joannes à Christo familiarius: sed dubium esse potest, utrum Joannes ferventius. Paulus de Ti- Philip.
motheo scribit, *se neminem ita se habere unanimem.* 2,20.
De Tito etiam loquens: *Cùm venissem*, inquit, 2. Cor.
Troadem, non habui requiem spiritui meo, eò quòd 2. 12.
non invenissem Titum fratrem meum; Et Idem: *Cùm* 2. Cor.
venissemus in Macedoniam, non habuit requiem caro 7. 5.
nostra; sed omnem tribulationem passi sumus: foris pu- seq.
gnæ, intus timores: sed qui consolatur humiles, consolatus est nos Deus in adventu Titi. Sit erga amicos ra- 7.
tionabilis & moderata dispensatione beneficiorum collatio. Sit alter manus, sit oculus, sit baculus sustentationis, sit mutua spirituum requies, sit in angustiis refugii portus. Deniq; sic in amicitiâ conversentur, ut ad illum amorem conscendere mereantur, quo Christus toto corde diligitur, & plenum in eo fructum amicitiæ carpant, quando timore sublato & solicitudine, quam nunc sibi vicissim exhibent, plenâ & æternâ securitate fruentur.

Cap. 12. De reverentiâ exhibendâ inter amicos, & mutuâ correctione inter eos.

Amicus præterea sic faciem revereatur amici, 1.

ut

ut aures vel oculos ejus verbo, seu gestu, vel opere non offendat. Optimus autem amicitiæ comes & ornamentum ejus pretiosissimum est verecundia; & ex diverso peremtoria ejus est inverecunda frons: Et frontis infirmitas plerisq; accidit.

† Quod, cùm iracundiæ ignis in eorum corde conceptus jam prodierit in publicum, aut cum jam verbum contumeliæ prorupisset ad fauces; supervenientis aspectus amici sedabat excurrantis animi motus, turbatiorem mentis faciem quâdam placatione vultus & auctoritate venerabili subito se-

2. renabat. In hoc enim apparet amicitiæ magna virtus, quod in svadendo aut dissvadendo aliquid plurimum potest. Quippe cùm nec fides ejus sit dubia, nec blanda admonitio exegerit, eundem non timeas objurgare. Cùm autem plerumq; molesta sit veritas. Hoc habet amicitia plerumq; ut turbetur, juxta Comicum illud: *Obsequium amicos, veritas odium parit.* Illud tamen obsequium damnabile est, quod indulgentiorem amicum vitiis

Terèt. Andr. l. 1. 41.

3. facit. Sit itaq; admonitio non acerba, objurgatio non contumeliosa; adsit honesta & svavis affabilitas. Omnis autem adsentatio sit procul à conditione amicitiæ aliena. Verbum B. Ambrosii est: *Siquid vitiosum deprehendis in amico, illum prius in occulto corripe. Si te non audiverit, corripe ipsum palam: si verò se lædi putat, tu tamen eum corripe. Tolerabiliora enim amici vulnera, quàm adulantium oscula.* Sicut Romani scribit auctor eloqui: Ob-

Ambr. lib 3. de off.

4.

jurga-

objurgationes nonnunquam necessariæ sunt, quas fieri Cicer.
oportet & majore vocis contentione & acriore gravitate verborum, ita ut videamur irati. Verum sicut
ad urendum & secandum, sic ad hoc genus ca-
stigandi inviti & rarissimè veniamus, maximè si
nulla medicina supersit. Castigatio eius sic ex gra- 5.
vitate & clementiâ condiatur, ut repellatur contu-
melia: & qui objurgatur, seipsum causam esse
hujus acerbitatis agnoscat. In omnibus deniq; ser-
vetur censura modestiæ, ne videatur quis plus
iracundiæ suæ satisfacere, quàm amori. Sunt enim,
qui ebullientem interius æstum vesaniæ nomine
Zeli palliant & celant. Sed qui sequuntur suæ
mentis impetum, & non potius rationem, vix aut
nunquam in corripiendo proficiunt. Sit ergo 6.
quæso in corripiendo sermo tristior, dejectior
vultus, intercipiant verba singultus & lacrimæ,
ut sentiat qui corripitur, totum hoc ex amore,
non ex rancore procedere. Si primam correpti-
onem forte respuit, recipiat vel secundam: &
intimiora suspiria gemitus intercidat. Agat amicus
in veritate, quicquid emollire potest alterius ani-
mum. Nihil tamen sit in verbo vel planctu aut ge- 7.
stu simulatione aliqua subornatum. Simulatio si-
quidem & assentatio duæ virulentissimæ pestes
sunt; quæ semper procul amicitiâ relegentur. Iob. 36,
Verbum Sapientis est: *Simulator & callidus provo-* 13
cat iram DEI: per Callidum intelligens adulato-
ris astutiam; sicut Comicus exprimit in Gna-
thone

Ter. Eun. 2, 1. 21. thone: *Negat* (ait) *quis, nego; ait, ajo. Postremò imperavi egomet mihi omnia adsentari.* Scriptum Es. 9. 16. est per Prophetam: *Populemi, qui te beatificant, in errorem inducunt, & viam gressuum tuorum dissipant.* Item de assentatoribus loquitur Prophe-
Es. 30. 11 ta in personâ populi infidelis: *Videte nobis vana, lo-*
Ier. 5. 31. *qvimini nobis placentia.* Et rursum: *Prophetæ prophetabant mendacium, & Sacerdotes plaudebant manibus suis; & talia dilexit populus meus.* De si-
9. mulatore item Salomon dicit: *Simulator decipit*
Prov. 11. *amicum suum*: & tempore aversionis meditabi-
9. tur dolum. Amici ergo correptio tota de medullis animæ & de intima compassione procedit, ut sic se habeat in memoratione amici, sicut circa
Ps. 140. 5. se fieri Propheta desiderat, dicens: *utinam corripiat me justus in misericordiâ, & increpet me: oleum*
10. *autem peccatoris non impinguet caput meum.* Sicut autem simulatio & adsentatio amicitiæ intoxicat puritatē: Sic dissimulatio inter amicos parit & nutrit affectuum puritatē. Est enim quædam dissimulatoria seu dispensatoria correctionis dilatio, pro lo-
11. co, pro tempore, pro personâ. Nam si amicus publicè & in palpebris communis famæ deliquerit, non est subito objurgandus: sed, quantū salvâ lege amicitiæ fieri potest, decet nos etiam erratum dis-
† simulare, aut execrare erratum, & ad correptionem ejus exquirere tempus opportunum & familiare & secretum. Dum enim ex turbatione recenti adhuc est inquietior æger animus, tantâ dissimu-

dissimulatione opus est, donec mentis nubilo serenato, auris pacatior verba blanda monentis admittat. Certè cùm Rex David adulterio proditionem & homicidium adjecisset, correpturus Propheta Nathan, regiæ tamen deferens majestati, non subitò, nec mente turbatâ tanti sceleris ei crimen impegit; sed congruâ simulatione præmissâ, & proposito ænigmate competenti sententiam contra se judicantis extorsit. 12. 2. Reg. 12. 1. seq.

Cap. 13. Non est amicus tolerandus, si in aliquo errorum vitio incorrigibiliter perseverat.

Frequenter autem reperire est aliquos, qui non solum amici, sed in amicitiâ confirmati, siniſtrâ opinione laborant, ita quod in suorum damnum, vel infamiam amicorum, eorum peccata redundant. Hi salutaribus monitis sunt curandi, qui se incorrigibiles exhibuerint. Non statim rumpenda est amicitia, sed paulatim, sicut eleganter docet quidam Sapiens, dissolvenda. Et hoc ipsum habet exceptionem. Rumpenda est amicitia, si crimen adeo enorme est, ut sine famæ dispendio tolerari non possit, veluti, si contra fidem Christi, si contra publicam utilitatem, vel simile aliquid præsumtione damnabili attentavit. Dissolvenda est ita amicitia, quod non prosiliatur ad jurgia, non ad seditiones, aut contumeliosa verba. Inhonestum enim est, bellum cum eo gerere, quem tu familiaritatis secretarium habuisti. Amicitiâ dissolutâ nulli maledicta congerant in amicos; non susurrent in 1. 2. 3.

tenebris

tenebris; non in angulis detrahant; non excusent se mendaciter, ut alios dehonestent. Solutâ denique amicitiâ, semper, quem amicum habueras, sic hoc exhibendum est, ut qui infert, non qui patitur
4. injuriam, sit in culpâ. Amicitia igitur nunquam à suâ æternitate degeneret. Qui enim amicus est, semper diligit: ideoq; semper eum dilige, qui te læsit; &, si amicitia subtrahatur, tamen dilectio perseveret. Consule famæ, consule saluti, & prospice paci ejus, nec unquam secreta amicitiæ prodas, licet hæc ipse prodiderit. In his tamen omnibus ita caute ambules, ne bonũ odorem opinionis tuæ ei consulendo, aut aliàs colloquendo alienâ commination contamines: sed sic statum animi tui ordines, ut nullius amor religioni, aut fidei, seu paci multorum patriæve saluti
5. præsit. Rex equidem Ahasuerus, qui superbum
Esth. 7. 10. Haman pro cæteris ad penitiora suæ familiaritatis admiserat, in cruce suspendit, jugis pollutorem fœderis, & salutem multitudinis amicitiæ, quam ille
6. consiliis violârat fraudulẽtis, intepolsuit. Jahel uxor
Jud. 4. 17. Heber Cinæi, licet pax confirmata fuisset inter Sisaram & domum viri sui; illa tamen veram religionem paci populi præferens, Sisaræ caput clavo
7. & malleo transfixit. David Rex licet de jure veteris
2. Reg. 21. 17. seq. amicitiæ Jonathæ posteritati pepercisse debuerit, audiens tamen propter Saul & domum ejus ob sanguinem Gabaonitarum, quos Saulus occiderat, populum à Domino fame gravissimâ tri-

bus

bus annis afflictum, 7. viros de cognatione Saul & Jonathæ Gabaonitis tradit puniendos.

Cap. 14. Qualiter amicitia dissolvenda sit, & quàm modestè

Illud autem est in amicitiæ dissolutione notandum, quod in parte illius, qui amicus est, solutio amicitiæ nunquam cadit. Qui enim læditur, lædenti amicus esse non desinit. Diligit enim non diligentem, benedicit maledicenti, suum contemtorem honorat, animiq; beneficium exhibet sibi maleficia machinanti. Turpe est, maxime homini orthodoxo, refricare injurias, & odiorum sopitos cineres denuò suscitare. In lege Moysi scriptum est: *Non quæres ultionem, nec memor eris injuriæ civium tuorum.* Cicero de laude Cæsaris scribens: *Nihil*, inquit, *solet oblivisci nisi injurias.* Et in Ecclesiastico: *Qui vindictam quærit, invenit vindictam à Deo.* Apostolus: *Nemini malum pro malo reddentes, nec maledictum pro maledicto.* In Evangelio legimus, quod ille *servus, qui conservo suo noluit misereri, datus est tortoribus, donec universum debitum persolvisset.* Semper sit E. in memoriâ gratia familiaritatis antiquæ, nec eum superveniens unquam possit malignitas abolere. 1. Lev. 19. 18. Cicer. Eccl. 26. 1. 3. 1. pet. 3. 9. Matth. 18. 34.

Cap. 15. Ex quibus causis, & in quibus amicitia dissolvatur.

Sunt enim quatuor, ex quibus amici disjunctio causam habet: *Dilectio, Affectio, Securitas* atq; *Jucunditas. Dilectionis* est consulere, providere, & amico 1. 2.

amico beneficia exhibere. Ad *affectionem* verò ſpectat quædam jucunda & ſvaviſſima dilectio. Ad *ſecuritatem* pertinet quorumlibet ſecretorum ſine omni timore & ſuſpicione communicatio. Ad *jucunditatem* verò de proſperis & adverſis, de utilibus & nocivis, atq; de omnibus, quibus humana mens afficitur, amica & familiaris, dulcis
2. & blanda collatio. In his itaq; amicitia patitur ſectionem; quia, licet Dilectio in aliquo ſtatu remaneat, ſubtrahitur tamen illa ſvaviſſima dilectionis affectio; perit ſecuritas, per quam ſua revelabat arcana; turbatur jucunditas, quam blanda confabulatio ſeminabat. Manet itaq; dilectio, ſed gratia familiaritatis aufertur. Veteris tamen amicitiæ veſtigiis aliqua reverentia impendenda eſt, niſi eam enormitas reatus eliminet.

Cap. 16. De Caritate ſeu Dilectione DEI.

1. Sicut præcedentia docuerunt, Amicitia vera non eſt, niſi ſuum in Deo habeat fundamentum. Ea propter, cum amicitia Dei donum ſit, juſtum eſt, ut qui ex dono Dei dilexit, nihil præter Deum diligat, ut illuc flumina refluant, unde fluunt: nec rivus à ſuo fonte degeneret, qui de plenitudine gratiæ affluenter emanat. Illam ſiquidem unicè & ſingulariter veram atq; ſummam amicitiam profitemur, per quam nos Deus amicos ſuos vocare dignatus eſt, ſi ejus præcepta fecerimus: *Vos* (inquit) *amici mei eſtis, ſi feceritis, quæ ego præcipio vobis.* Hæc Dei amicitia, eſt caritas, quâ nos dilexit ante mundi

Ioh. 15. 14.

con-

constitutionem, & elegit in dilecto Filio suo. Ipsa enim fons omnium est bonorum, omnũq; donorum, quæ nobis â munificentiâ supercælesti proveniunt. Hac omnis amor legitimum ordinem, formam sortitur: nec ordinata potest aliqua mentis esse affectio, nisi ab eâ causam, modum & ordinem metiatur. De hac ordinatissimâ caritate Sapientia in libro sui nominis dicit: *Ab æterno ordinata sum*: Hæc ordinata â Deo, ordinat Angelos in ministeriis suis: Hæc studia & exercitia justorum disponit in professionib⁹ suis: Hac ordinante ordinata lex est per Angelos in manu mediatoris. Sine hac amicitia inter homines ordinata esse non potest; nam, cùm Apostolus dicat: *omnia secundùm ordinem fiant in vobis*: & Ipse iterum: *Omnia vestra fiant in caritate*; patet ea ordinem non habere, quæ in caritate non fiunt. Ipsa est via & vita virtutum. Ipsa est via eminentior: & illabitur, quo ostenditur salutare Dei. Unde Apostolus in prima epistolâ ad Corinthios: *Adhuc*, inquit, *viam eminentiorem vobis demonstro*. Et Idem: *Scire etiam supereminentem scientiæ caritatem Dei*. Hæc est via, de quâ Esaias dicebat: *Ambulabunt hanc viam, qui liberati fuerint & redempti â Domino. Et venient in Sion cum laude: lætitia sempiterna super capita eorum, gaudium & lætitiam obtinebunt, & fugiet dolor & gemitus.* Caritas est *præceptum Domini lucidum, illuminans oculos*: Ipsa enim est lumen cordis, omnes sensus hominis & affectus clarificans & serenans,

3. *prov.* 8. 23.

1. *Cor.* 14. 40. 1. *Cor.* 16. 14.

†

4. 1. *Cor.* 12. 31. *Ephs.* 3. 19. *Es.* 35. 10

5. *ps.* 19, 10

renans, ut discat homo, & sciat, ubi sit lumen o-
6. culorum & pax. Caritas est oleum, quod omni liquore supernatat, quod sanat, quod illuminat, quod omnem asperitatem propriâ suavitate lætificat. Hoc oleo inuncti Apostoli & Martyres svavissimam reputabant mortis amaritudinem & immanè
Heb. 1. 9 sævitiam tormentorum, *Christus* enim *unctus à Deo*
præ participibus suis hoc oleo suos ungit, & exactoris
Luc. 4. 18. jugum à facie olei computrescere facit. *Spiritus*,
7. inquit, *Domini super me, eò quod unxerit me.* Caritas non solùm mortis & suppliciorum amaritudinẽ suavificat, sed etiam ipsam mortẽ potentissimà vir
Hos. 13. 14. tute mortificat. Nonne Christi caritas peremtoria mortis erat: cùm ipse dux vitæ, mortis destructi-
1. *Cor.* 15. 45. *Cant.* 8. one, illi comminaretur & diceret: *Ero mors tua*, *ô mors.* *Dilectio* siquidem *fortis est*, *ut mors*, imò
6. fortior morte. Cùm enim mors vitam eripiat temporalem, nos ad vitam Caritas introducit æternam. Illa nos à vitâ transitoriâ dejecit: hæc ad
8. vitam & gloriam sine fine restituit. Caritas est *por-*
Act. 3. 2. *ta speciosa*, quæ in everſione Jerusalem portis aliis omnino destructis, integra & intacta permansit.
1. *Cor.* 13. 8. *Caritas* enim *nunquam excidit.* Hæc est *speciosissi-*
2. *Reg.* 1. 3. *ma Sunamitis*, quæ *David in virginitate suâ calefaciebat*: eo quod non poterat calefieri pellibus animalium mortuorum. Qui enim versantur in operibus
9. mortuis refrigescente caritate, cogitatione passionum Christi denuo recalescunt. Hæc est *nubecu-*
3. *Reg.* 18. 44. *la*, quæ *ad preces Eliæ magnam excrevit in pluviam*,

Cùm

Cum enim aliquis Dominum cœperit ex toto corde diligere, ſtarim non ſolùm ad proximos, ſed etiam ad inimicos benevolentiæ ſtillicidia & gratiæ fluenta diffundit. Nec mirum: Caritas enim eſt *oleum viduæ*, quod continuum ex ſui diſtributione ſuſcipit incrementum. *Mulier* ſiquidem *de uxoribus Prophetarum, uxor Abdiæ, clamavit ad Eliſæum, dicens: Vir meus mortuus eſt, & ecce creditores tollunt â me duos filios ad ſerviendum ſibi*: Implevit ad vocem Prophetæ vaſa oleo, quo debebat inungi: Sunt filii, Timor & Amor; qui vaſa non pauca afferunt, quibus mater gratia oleum benevolentiæ & devotionis infundit. Claudit tamen oſtium conſcientiâ & favore laudis humanæ, ne ſine oleo inter virgines fatuas reputetur. Creditores ſunt importuniſſimi exactores, maligni Spiritus, qui pro voluptate tranſitoriâ æternos exigunt cruciatus. Vicinæ, â quibus vaſa mutuò accipiuntur, ſunt Angelicæ poteſtates, animæq; Sanctorum, qui nos conſiliis erudiunt & exemplis, quod oleum miſericordiæ in primis infundamus; ſcientes quod quamdiu vaſa hujus ſuperfuerint, non ſtabit oleum: Et caritas impenſa pluribus, uberius ſortietur augmentum. *Linguæ Apoſtolorum, linguæ hominum, ſuſtentatio pauperum, Martyrium ſine caritate nihil ſunt.* Prophetia præcedit, Scientia comprehendit, Fides credit: Sed *nec Prophetia, nec Scientia, nec Fides, etiamſi montes transferat, nequaquam ſine caritate*

4. Reg. 4. 1. ſeq. 10.

† 11. Luc. 16. 24. Matth. 18. 34.

12. 3. Cor. 13. 1. ſeq.

caritate valebit. Sine caritate nihil potest prodesse;
13. † nihil verò cum caritate, obesse. Caritatis beneficio impediente, peccata non sunt: *Caritas* enim *operit multitudinem peccatorum.* Caritas est lex vitæ, disciplina morum, pax convenientium, gloria concordium, criminum abolitio, legis plenitudo, sacræ Scripturæ compendium, præceptorum Dei consummatio, virtutum virtus, & bonorum impletio
14. meritorum. Omnia mandata vitæ, omnia justitiæ opera referuntur ad eam. Ex hac suum sortiuntur effectum, operum commendatio, devotæ o-
Matth. rationes, & *abipsâ* tanquam fructus ab arbore, tan-
22. 40. quam racemus â vite, *pendent tota lex & Prophetæ.* Sicut enim fructus â palmite suum recipit alimentum, donec ad maturitatem perveniat: Sic boni operis fructus, sic sancta devotio, sic omne, quod piè agitur, suum â caritate recipit initium, & progressum.

Cap. 17. Quod Caritas est conservatio Legis & Fidei.

1. Ut autem sub certâ definitione, quid sit Caritas, possit apertius & efficacius comprehendi, audiamo qualiter eam definiat aut describat Apostolus. Ipse
1. *Tim.* enim ad Timotheum scribens, *Finis*, inquit, *præce-*
1. 5. *pti caritas de corde puro, & conscientiâ bonâ & fide non fictâ.* Præceptum lex dicitur, cujus præceptis vita hominum informatur. Est autem lex S. Moysi, vel principium terræ, de quâ Paulus
1. *Tim.* Apostolus dicit: *Lex justo non est posita, sed injustis.*
1. 9. Et alia est lex, quam Psalmista postulat, dicens:

Legem

Legem pone mihi, Domine, viam justificationum tuarũ. ps. 118. 13

Ista lex Spiritualis est, illa carnalis. Isti[2] professor coram principibus & inter gladios nihil timet. Illa injustos & maleficos terret; illa injustis posita est, quibus præcipit, ne occidant: hæc justa non est posita, quia lex principium nihil in hominibus justis invenit puniendum. Audi, quid dicat Apostolus: *Vis Rom. 13.*
non timere potestatem, bonum fac, & habebis laudem 4.
ex illa; & adjungit: *Si malum feceris, time.* Ab 3.
hoc equidem timore justum eximit Caritas de puro corde. Ideoq; ipsa finis legis illius est, quæ timorem incutit. Unde & ipsa timoris est finis legisq;, quæ justo posita non est. Caritas etiam finis est, cùm sit omnium operum bonorum consummatio, & malorum abolitio, & sic finis est utriusq; legis: Unius scil. legis malorum, quam abolet; & alterius, quam adimplet. Sanè fides 4.
eorum ficta est, de quibus dicitur: *Dilexerunt eum in ore suo, & linguâ suâ mentiti sunt ei.* A quâ *ps. 77. 38.* *1. Joh. 3. 18.*
malitiâ Joannes Apostolus nos dehortans: *Nolite*, inquit, *diligere verbo, nec linguâ; sed opere & veritate.* Veritas operis est actio rectæ intentionis: veritas in ore est, simplicitas in sermone. Sicut autem cor purum non simulat, ita intentio non erat. Ubi autem non est error aut simulatio aut fictio, ibi est pura & simplex intentio, & in eâ caritas requiescit. Fictio verò fidei longè à caritate 5.
relegata est, & dicitur Fides ficta eorum, qui de corde suo fingunt suæ fidei formam, & sanæ doctrinæ

ctrinæ adversari non dubitant. Ficta etiam â quodam Sapiente dicitur; quasi fictilis, eo quod tanquam vas fictile & fragile, tempore tentationis
6. citò â veritate recedit. De Caritatis laude &
Cant.8. 7. commendatione scriptum est: *Si dederit homo omnem substantiam domus suæ, pro dilectione, quasi ni-*
1.pet.4. 8. *hil, despiciet eam.* Petrus autem Apostolus nos ad eam invitans: *Ante omnia*, inquit, *mutuam in nobismetipsis caritatem habentes.* Et Paulus: *Super o-*
1.Coloss. 3, 14. *mnia*, inquit hic, *caritatem habet.* Et Idem: *Se-*
1. Cor. 14. 19. *ctamini Caritatem.* Et rursus: *Æmulamini charismata meliora, & adhuc eminentiorem viam vobis*
1.Cor. 12.31. *demonstro*; per charismata meliora, caritatem
phil. 3.8 intelligens, *propter quam omnia, quæ reputaverat lucrum, dicit se existimare detrimentum, & arbitrari*
7. *ut stercora, ut Christum lucrifaceret.* Paulus in eâ caritate, quæ finis præcepti, de corde puro & fide non fictâ, firmiter stabilitus: *Quid nos*, inquit,
Rom. 8, 35. seq. *separabit â caritate Christi? tribulatio & angustia? an persecutio, an fames, an nuditas, an gladius? Certus sum* (inquit) *quia neq; vita neq; principatus neq; potestates neq; altitudo neq; profundum neq; instantia neq; futura neq; creatura aliqua poterit nos separare â caritate Dei, quæ est in Christo Jesu.* Vera de corde puro, & fide non fictâ Caritas quasi ignis scintillans fervebat in Paulo: unde ad huc non cessat in-
8. cendere plures illius ignea locutio. *Ipse autem*
Eph.3, 17. *per fidem*, dicit, *Christum habitare in nobis*: quæ quamdiu in nobis vivit, & Christus in nobis per fidem

fidem vivit. Justus etiam per hanc vivere dicitur, sicut testimonio Habacuc Prophetæ & Pauli Apostoli probatur, aperte dicentium, *Quòd justus ex fide vivit.* Oportet sanè quod viva sit fides, de quâ, vel per quam vivere nos oportet. Notandum ergò, quod sicut vitam corporis ex motu cognoscimus, ita ex operibus bonis vitam fidei fieri comprobamus. Illa siquidem *fides* sola vivit, quæ *per dilectionem operatur.* Est ergo Caritas vita fidei, quâ refrigescente aliqua desunt. *Spiritus* autem *Dei est, per quem Caritas diffunditur in cordibus nostris.* Sunt tamen, qui, cùm Spiritu cœperint, vivere carne consummantur; Et eis convenit verbum illud: *Non permanebit Spiritus meus in homine in æternum; quia caro est.* Hab. 2. 3 Hebr. 10 38. Rom. 1, 17. 9. Gal. 3. 11 Gal. 5. 6. Rom. 5. 5. † Gen. 6. 3

Cap. 18 Qualiter cogitandus est Deus Caritas.

Sciendum, quod, quanto terra inferior est altitudine cæli, tanto elegantior, eminentior & inæstimabiliter dulcior est amore proximi amor Dei. Et ut de Dei dilectione loquentibus causa prius, vel præcepti propositi desiderabilius & liberius ad intelligentiam se diffundat, pauca de Deo, quasi delibando perstringimus, ut appareat, quàm ineffabili gratiâ, & dignatione incomparabili, Deus gloriæ, mediante beneficio Caritatis, homini condescendat. Credendus itaq; & cogitandus est Deus, Quædam vita æterna, vita vivens in se, & omnia vivificans: immutabilis, & omnia mutabilia immutabiliter faciens: omnia intelligens, omnemq; 1 † 2.

intelligentiam creans: Sapiens, & ipsa sapientia; veritas fixa, justitia indeclinabilis, scientia, virtus, summa bonitas, divinitas, æternitas, magnitudo, immensitas, summa essentia, quâ est Esse: summa & æterna substantia, non subjecta prædicamentis vocum, aut cogitabilium, sed omnium rerum, causale efficiens, & supersentiale principium.

3. Cogitandus est Deus simplex, purus, integer & perfectus, nihil habens, quod in numerum transeat, nihil trahens â tempore vel â loco: Sic in omni loco, quòd nec includatur â loco: Cogitandus est Deus sine formâ visibili, sine specie corporali, sine compositione partium, sine distinctione membrorum, in quo omnia, non ut in loco, sed in virtute; sine qualitate bonus, sine quantitate magnus: sine situ præsidens: sine habitu continens

4. omnia & disponens. Disponit enim ut sapientia; operatur ut virtus; amat ut caritas; revelat ut lux; miseretur ut pietas; scit ut veritas; judicat ut æquitas; præsidet ut majestas. Non comprehendis ejus altitudinem, nisi vilescas apud te contemplatione ipsius. Non comprehendis ejus magnitudinem, nisi fias parvulus in oculis tuis, subjiciens te humanæ creaturæ propter ipsum. Deus Caritas est: Spiritus tamen

5. Sanctus, specialiter Caritatis appellatione signatur. Ipse est Amor Patris & Filii, & suavitas, et unitas & osculum & amplexo, & quicquid esse potest commune amborum. Quia vero per gratiam S.

am S. Spiritus anima hominis Deo mirabiliter & miraculoſe unitur, ſciendum eſt, quòd idem Spiritus in illâ unione donatio eſt Dei, & donum. Propterea Paulus Apoſtolus Spiritum Sanctum interſerit in catalogo munerum Dei, dicens: *In caſtitate, in ſcientiâ, in longanimitate, in ſuavitate, in Spiritu Sancto, in caritate non fictâ, in verbo veritatis, in virtute Dei.* Spiritum Sanctum ponit in medio, quaſi artificem bonæ voluntatis, ad Deum, fornicationi affectionis dirigentem actionem, *attingentẽ â fine usq; ad finem fortiter, & univerſa ſuaviter diſponentem. Spiritus eſt, qui vivificat ſpiritum hominis*, ipſumq; inſtruit, & format Deum diligere, quærere, invenire, tenere & frui. Ipſe eſt ſollicitudo quærentis Deum in humilitate: pietas adorantis in ſpiritu & veritate: Ipſe eſt ſapientia invenientis, amor habentis, & gaudium perfruentis.

2. Cor 6, 6. 6. † Sap 8. 1 Joh. 6, 63.

Cap. 19. Quod cupiditas facit hominem multipliciter errare â vero bono, quod eſt in Caritate.

Porrò quidam ea ad perfruendum ſibi eligunt, quæ peremtoria ſunt ſalutis. Veneno enim cupiditatis infecti, & abſorpti â malitiâ hujus mundi, in fallacibus divitiis, in tranſitoriis honoribus, in voluptatibus carnis, ſeculiq; favoribus ſuæ intentionis finem conſtituunt, & his, quæ ſunt æternæ damnationis, actionibus felicitatem ſuam falsâ opinione, quaſi ſomniando depingunt. Iſti, ut metam ſuæ intentionis attingant, viarum diſpendia eligunt, & cœcæ cupiditatis multiplici præſtigio

stigio dementati, ad sui desiderii finem per divor-
tium & anfractus incedunt. Tendit enim unus
ad bravium sui cursus, militiâ mediante: alius ne-
gotiatione alicujus artis: alius latrociniis aut rapi-
3. nis. Id autem specialiter ab unoquoq; diligitur,
ad quod finaliter intentio tota dirigitur. Cætera
verò quasi quædam adminicula sunt, militia atq;
negotiatio, & cætera: quibus mediantibus, id,
quod quis ad fruendum eligit, obtinere conatur.
4. Iterùm autem mens elusa, quæ sibi felicitatis ima-
ginem in re præsagiebat inutili, dum post rei desi-
deratæ obtentum, majori se sentit indigentiâ labo-
rare, præoptata incipit fastidire, & denuò in al-
terius rei succenditur appetitus: non tamen sati-
anda, sed alterius falsæ felicitatis imaginatione fal-
5. lenda. Hic est *circuitus impiorum*, hæc est vitu-
ps.30.14 peratio multorum commorantium in circuitu.
Jud.16. Hæc est *mola Samsonis*, quam decisis virtutum
19. crinibus, & effossis prudentiæ oculis circumvol-
Ps.139. vit sequens cupiditatum circuitus, etiam relicto
10. compendio caritatis: *Caput*, inquit, *circuitus e-*
6. *orum: labor labiorum ipsorum operiet eos.* Porrò
Luc.15. de hoc labore non satiabitur homo, nisi de siliquis
16. porcorum illa fortè satietas inducatur: quæ divi-
Matth. tem dormire non sinit. Ubi enim copia ma-
19.22. jor divitiarum exuperat, ibi se gravior molestia
solicitudinum totius perturbativa quietis intrudi-
7. tur. Rationalis itaq; anima licet ad suam beati-
tudinem desideranter adspiret; aliis tamen abstra-

hitur

hitur, & eam quædam falsæ felicitatis imago deludit, aut veræ miseriæ similitudo deterret. Quis enim paupertatem, persecutionem, ægritudinem, luctum, famem non reputet magnam miseriæ portionem- Istis tamen & vera miseria præcavetur, 8.
& vera beatitudo acquiritur: nimirum paupertas, regni cœlestis acquisitiva est: *Beati enim pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum*; *Beati qui lugent, qui esuriunt, qui persecutionem sustinent; quia illi saturabuntur, illi consolationem recipient: isti jam cœleste regnum adepti sunt*, non solum ad habendum sibi, sed aliis conferendum- Matth. 3.3.seq

Cap. 20. Quanta mala sint in divitiis.

Ut autem de temporalium divitiarum umbratili & peremtoriâ felicitate, caussâ exempli, aliqua inducamus, & quod à beatitudine, quæ in Caritate est, eam liqueat esse penitus alienam, vide inprimis, quanta cum pecuniâ molestiarum turba versetur. Pecunia cum labore acquiritur, acquisita cum timore servatur, & tandem cum dolore amittitur. Et proventus pecuniæ potest existimari 2.
miseriæ incrementum. Hydropici enim more, qui plus bibendo, plus siti, pecuniæ cupiditas ex multiplicatione grandescit. Timetur præterea potens, ne auferat; servus, ne prodat; fur, ne furripiat: & frequenter impletur verbum illud Sapientis, ut sint *divitiæ conservatæ in malum Domini sui.* Ec. 5. 2
Melius est ergo pauperi, qui nec metuit potentem, 3.
nec proditorem formidat, aut furem. Pauper

cãtat, dives pecuniæ plorat. Ploratur lacrimis amissa pecunia veris. Pauperi enim, si Christus sufficit, nihil deficit. Dives autẽ quanto plura possidet, tanto pluribus eget: nec divitiis unquam invenit copiam, quam inquirit. Verbum Salomonis est: *Avarus non satiabitur pecuniâ, & qui amat divitias, fructum non capiet ex eis.* Circum spectè dictum est: Qui amat divitias; unde Psalmista: *Divitiæ si affluant, non apponas cor.* Propterea præcipit Apostolus, *prædicandum divitibus, non superbè sapere, nec sperare in incerto divitiarum, sed ut facilè tribuant, & communicent, & thesaurizent sibi bonum fundamentum, ut apprehendant bonam vitam.* Ipso teste, non qui divites sunt, sed *qui divites esse volunt, incidunt in tentationem & laqueum Diaboli, sibiq; thesaurizant iram in die iræ.* Quod insinuans Habacuc, dicit: *Væ ei, qui congregat non sua: usq; quò & aggravat contra se densum lutum!* Sanctos equidem inter divtias nec solicitudo servandi, nec timor amittendi solicitat. Hanc eis solicitudinem Dominus interdicit: *Nolite* (inquit) *soliciti esse, dicentes; quid manducabimus? quid bibemus?* & paulo post: *Primùm quærite regnum Dei & justitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Isti sicut nunquam de divitiis gloriantur: sic nec murmurant de amissione illarum. Imo *rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipiunt, considerantes se habere meliorem & manentem substantiam.* Perversis deniq; totum in contrarium cedit. Dum enim rationalis animæ appetitui, quem solus

4. Eccl 5. 9. Ps. 61, 10 5. 1. Tim. 6, 7. 1. Tim 6. 9. Mat. 2. 6. 6. Hab. 2, 6. Matt. 6 31. Matt. 6 33. 7. Heb. 10, 34. 8.

solus Deus expler, sufficere posse existimant, vilem affluentiam mundialium rerum, quia nihil ex quantalibet rerum ingestione proficiunt, nec se curis infelicibus eximunt, nec à labore quiescunt, &, quod miserabilius est, talium vanâ delectatione tumescunt. Talium (dico) gloria in confusione est: quorum finis interitus, quorum vita in continuo labore; quorum exitus in miseria sine fine. Quocirca, nugatoriâ & fallaci temporalium divitiarum felicitate delusi, præteritæ vitæ fructum convertunt in materiam lacrimarum. 2a

Cap. 21. Lamentabilis querela eorum, qui à caritate deviant per cupiditatem.

Miseriam siquidem talium Sancta Scriptura patenter exprimit ac describit: *Dicent* (inquit) *intra se pœnitentiam agentes, & præ angustiâ Spiritus gementes: Lassati sumus in via iniquitatis & perditionis; Ambulavimus vias difficiles: Viam autem Domini ignoravimus: Quid nobis profuit superbia, & divitiarum jactantia quid contulit nobis? transierunt omnia vel ut umbra, & tq. nuncius præcurrens & tq. navis quæ præteriit fluctuantes aquas, cujus, cùm transiit, non est vestigium in mari: Ita & nos, nati continuò desinimus esse, & virtutis quidem nullum signum voluimus ostendere: In malignitate nostrâ consumti sumus. Talia dixerunt in inferno, qui peccarunt, quoniam spes impii tanquam lanugo est, quæ à vento tollitur, & tanquam spuma gracilis, quæ à procellâ dispergitur, & tanquam fumus, qui à vento diffusus est, & tanquam* 1. Sap. 5. 3. seq. 2a

3. *memoria hospitis unius diei prætereuntis.* Quàm fallax & deluoria sit illa pernicioſa felicitas, quâ pleriq; in carnis voluptate conſtituunt, in libro experietiæ legitur inceſſanter: dum in opere impudicitiæ cito præterit quod delectat, & permanet ſine fine quod cruciat. De actu quidem immunditiæ nihil remanet, niſi fœda & fœtida recordatio peccati in tor-
4. mentum animæ, exſpectationemq; gehennæ. De talibus E. lugendum potius cenſeo, quàm loquendum, dum eos, qui ad imaginem Dei creati, in beſtiales motus & impetus belluinos degenerare videmus, quærentes quæ de ventre & ſub ventre ſunt, & impudenter impudicitiæ data tremenda
5. ſuper ſe judicia non attendunt. Quid ergo indi-
Rom. gnius, quàm ſuam animam, *pro quâ Chriſtus mor-*
5.8. *tuus eſt*, viliori corporis parti ſubjicere, & ſe brutis irrationabilibus conformare? Porro multis eſt annexa doloribus hæc voluptas. Inprimis vix uſus exercetur illius, quin naturales limites facultatis excedat. Ideoq; & iſtius conſuetudo & quarumlibet voluptatum frequenter non ſolum animæ periculum, ſed & corporis inducit exitium. Quocirca ſicut hoc volutabro ſuis nihil eſt fœdius, nihil erubeſcibilius, ita nihil inquietius eſt, nihil à verâ tranquillitate remotius. Hæc nimirum lues ſordidiſſima contaminat carnem, & mentem effeminat. Siquid verò in homine aut honeſtum aut
6. virile eſt, totum obruit & enervat. Cumq; cætera vitia ſe quibusdam virtutum tegumentis oppal-

lient

lient, & frequenter ad humanos adſpectus quadam extollentiâ intumeſcant, mens hujus turpitudinis conſcia, tantum primâ fronte præfert ſuæ accuſationis horrorem: ut non ſolùm eâ horâ, quâ impia caro perniciosâ voluptate perſtringitur, ſed etiam quotiens audit aliquos de turpitudine ſuâ, rubore perfunditur; abſentiamq; captat, & immundi operis recordatione torquetur. Eapropter hæc ſemper latebras quærit: quia, *qui malè agit, odit lucem.* Sed in latebroſis abſconditus non poterit tremendũ judicem declinare, non ſolùmodò corporum, ſed & cordium ſecreta videntem. Nec illud eſt ſub ſilentio tranſeundum, quòd omnium creator genitalia membra tantâ obſcænitate damnavit, ut ei paterna maledictio & perpetua ſervitus ſit inflicta, qui eadem in patre reverenter operire contemſit. Sanè cùm hodiè circumquaq; crux Chriſti triumfet, potentiſſima luxuriæ debellatrix, abſurdiſſimũ eſt, quod plurimi profeſſores filii B. Mariæ virginis, quaſi *jumenta in ſuis ſtercoribus computreſcunt, bibunt urinam* peccatorum ſuorum, verſantur in *abominationibus* ſuis, & iram Dei ſentiunt improviſam: *ignem*, qui jam *ſuccenſus eſt in furore ejus*, non cogitant, non formidant. Porrò ante quam comprehendatur peccator in operibus ſuis, non intelligit miſer carnis immunditiam, in quâ ſuam ſopivit beatitudinem, fuiſſe â Deo quibusdam loco pœnæ graviſſimæ irrogatam. Volens eos in hoc puniri, quòd eos ſuæ dimiſerit voluptati.

Joh. 3. 20. 7. *Gen. 9.* 25. *Joel. 1.* 17. *Eſ 36.12* *Eſ.66.3* *Jer. 15,* 14. 8. †

voluptati. Verba enim Domini sunt in Psalmista:
Ps. 80.12 *Et non audivit populus meus vocem meam, & Israël non intendit mihi; & dimisi eos secundùm desideria*
9. *cordis eorum; ibunt in adinventionibus suis.* Apostolus quoq; de his, qui commutârunt gloriam Dei in Idololatriæ cultum, terribiliter loquens, dicit:
Rom. 1, 24. *Tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora in semetipsis, non quòd Deus sit intentator mali,* sed quod sentiant *immusiones per angelos malos,* à gratiâ derelicti. De incestuosis, & his, quorum peccatum
Jac. 1. 13 Ps. 77. 49
10. Gen. 19. 14. in Sodomis Deus igne & sulphure condemnavit, ut innotesceret abominatio iniquitatis ex fœtore & horrore supplicii, sub silentio claudi oportet, ne opusculum præsens, in quo de Caritate agimus, quæ est intima requies animæ, abhorrenda
11. colluvio de honestet. Ex prædictis apertissimè liquet, quàm pernicioſus sit amor carnis, ususq; libidinum: ad quarum detestationem Deus de
Apoc. 18 purpuratâ meretrice executoribus angelis dicit:
7. *Quantùm exaltavit se, & in deliciis fuit, tantum date*
12. *illi tormentum & luctum.* Restat persequi, quod in voluptate oculorum, vel aurium cæterorumq; sensuum, non est beatitudo vel requies, nec in his, quæ pertinent ad delicias vitæ hujus, nec ad ambitiosum honorem aut potentiam dominantium.
13. Veniat igitur rex ditissimus, potentissimus, delicatissimus, & tamen sapientissimus, Salomon licet;
Eccl. 2. 1. & quid de tali fine dijudicet, audiamus: *Dixi,* inquit,

inquit, *in corde meo; vadam, affluam divitiis, & fruar bonis.* & infra: *Ædificavi domos, plantavi vineas,* Eccl. 2. 4
feci hortos & pomaria consevi cunctis arborum generibus: & multa his, prosequendo, adjecit: *Possedi* Eccl. 2. 7
servos & ancillas & familiam multam nimis, coacervavi mihi argentum & aurum, substantias regnorum & provinciarum. Et addens de voluptate aurium:
Feci mihi cantores, & cantatrices; post pauca subjecit: *Quicquid desiderárunt oculi mei, non negavi eis,* Eccl. 2. 8
nec prohibui cor meum, ne omni voluptate frueretur? in his quæ paraveram mihi. Quid quæso delicatius? quidve jucundius? sed attende, quia nihil vanius, nihil mutabilius; continuat Salomon, & subjungit: *Cumq; convertissem me,* inquit, *ad cuncta opera mea, in quibus frustra sudâram, vidi in omnibus vanitatem & afflictionem Spiritus, & nihil permanere sub sole.* Sententiam quidem generalem præmiserat dicens: *Vidi cuncta, quæ fiunt sub sole, & ecce* Eccl. 1. 14.
omnia vanitas & afflictio Spiritus. Habes ex verbis 15.
Salomonis vanitatem & afflictionem Spiritus. Apponit Veritas tertium, scilicet servitutem: *Omnis,* Joh. 7. 35.
inquit, *qui facit peccatum, servus est peccati.* Conjungantur hæc tria: *Vanitas, Servitus, & Spiritus etiam afflictio.* Ubi ergo Reges? ubi Sabbathum? Levit. 23. 7.
Nonne verbum legis est: *Nullum servile opus facietis* Num. 29. 1.
in eo. Quis enim pecatum non fecit? Quis E. est, qui non sit servus peccati? Dicit David: *Ecce* Ps. 50. 5.
enim in iniquitatibus conceptus sum, & in delictis peperit me mater mea. *Si dixerimus,* (inquit Joannes) 1. Joh. 1. 9.

quod

quòd peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus,
16. *& veritas in nobis non est.* Quis E. nos liberabit â
Joh. 5. jugo veteri, & à servitute peccati? Ille, de quo Ve-
36. ritas in Evangelio dicit: *Si filius vos liberavit, verè*
Matth. *liberi eritis.* Ipse ad Sabbathum nos invitans: *Ve-*
11. 28. *nite*, inquit, *ad me omnes, qui laboratis, & onerati*
17. *estis, & ego vos reficiam.* Et ecce Refectio, quasi
sabbathi præparatio! Audiamus & Sabbathum.
Matth. *Tollite jugum meum super vos, & discite à me, quia*
11. 25. *mitis sum, & humilis corde, & invenietis requiem*
animabus vestris. Ecce Sabbatum, & ecce quieta
tranquillitas! *Jugum enim meum suave, & onus me-*
um leve. Jugum enim hoc non deprimit, sed eri-
git: pennas habet, quibus elevet; non pœnas, qui-
18. bus aliquos gravet. Jugum istud Caritas est Dei,
1. Cor. proximiq; dilectio. Sic sabbatizatur, sic ab o-
13. 4. mni opere servili vacatur. Nimirum *Caritas non*
Rom. 13 *agit perperam, non cogitat malum*; Sed & *dilectio*
11. † *proximi malum non operatur.* Vides Andreæ sab-
batum ubi sit, in quo etsi aliqua peccati surreptio
ex infirmitate contingat, non tamen periit sabbati
1. pet. 4. feriatio; quia *Caritas operit multitudinem peccato-*
8 19. *rum.* Videmus tamen aliquos, qui, cum suaviter
respirare deberent sub jugo & onere suavi & levi,
sub utroq; laborant & murmurant. Addicti Ba-
bylonicæ servituti, vitium inoletæ consuetudi-
nis non possunt dedicere, nec intelligunt, hæc de
morbo proprio, non de jugo vel onere Domini
20. provenire. Sciant autem quicunq; causantur iu-

gum

gum vel onus Domini, quod tum nondum abjecerunt mundanæ concupiscentiæ jugum; vel perniciosè resumserunt abjectum. Illud enim frequenter evenit in quibusdam, ut jugum Domini in habitu præferentes, mentis humores negotiorum secularium pressuræ supponant, atq; jugo Dei laborum impatientiam, quos pro seculo patiuntur, adscribant. Isti ut immundi canes ad pro- 21.
prium vomitū recurrentes, sub habitu abstinentiæ ventrem colunt, sub cilicio pœnitentiæ gloriam mundi captant; sub sacro amictu pudicitiæ, immunditiæ militant; sub ovis vellere lupum operiunt, & avaritiâ inexplebili æstuantes, ut domum domui, agrum agro copulent, armantur ad lites & contentiones; non parcunt pauperi, viduæ aut pupillis; nec moventur super contritionem Joseph. Ad jugum utiq; mundi pertinet, quòd curis exæstuant, quod inflammantur odiis & torquentur invidiâ. Et hoc jugum cupiditatis est, & onus se- 22.
culi grave. *Jugum autem Dei suave est, & onus* Matth.
ejus leve. Et quid, quæso, suavius est homini, quid 11. 30.
jucundius, quàm mundum contemnere, & se reputare seculo celsiorem? atq; in bonæ & securæ conscientiæ vertice consistentem, mundum habere sub pedibus? nihil videre in eo, quod appetat? †
(Nullienim invideat, vel metuat) nihil mali esse, quod ab alio sibi possit inferri; nihil boni esse, quod ab alio sibi possit offerri? Sed in illam hereditatem incorruptibilem, incontaminatam & immar-

marcessibilem, conservatam in cœlis, oculos dirigere, fallaces divitias & honores pernicioſos & damnabiles delicias conculcare? Quid quæſo, deſiderabilius, quid tranquillius, quàm ſuam ſic animam ſtabilire, ut nullis motibus carnalis concupiſcentiæ agitetur, extraordinarii appetitus incentiva non ſentiat: aſpectu tenebroſos abhorrens, carnem rore pudicitiæ tepeſcentem compellat ancillari ſpiritui: carnem ad lenocinia illectricem, ſcilicet ad exercitium militiæ ſpiritualis promtiſſimam habeat ad mittere? Quid præterea ita divinæ tranquillitatis imaginem gerit, quàm anima? quæ ſic ad omnium injuriarum tolerantiam ſe obfirmat, ut eam contumeliæ illatæ non moveant, mentem ejus à ſtatu ſuo nullæ comminationum aut injuriarum machinæ dejiciant? eandem in proſperis & adverſis ſervare conſtantiam: amicum & inimicum eodem oculo intueri? nonne ſimilis ei, *qui facit ſolem ſuum oriri ſuper bonos & malos; pluit ſuper juſtos & injuſtos*? Et hic omnes ſagenâ caritatis attrahit, & amplexatur in Chriſto: quòd, cùm circa eum omnia mutabiliter fiant, nulla eſt in ejus corde mutatio. Verè verum eſt in Caritate Sabbatum. Cùm enim cœteræ virtutes vicem vehiculi vel viatici gerant ad legem obtinendam, omnes in caritate quieſcunt. Illud deniq; admiratione dignum eſt, quòd ſine caritate nihil eſt virtus. Et ipſa unicuiq; virtutum exhibet, ut ſit virtus. Fides equidem, quæ hic operatur ad vitam, in Dei viſione

23.

†

24.

†

Matth. 5.44.

25.

visione tunc non erit jam Fides, sed Caritas. Ibi enim abhorrebitur Fides, cum id videbitur quod supra omnia diligitur. Nec opus erit credere, quod nobis licebit plenâ cognitione percipere. Non erit etiam ibi de cœtero spei locus, ubi Deo fruentes non habebimus ulterius quod speremus. Hîc Temperantia pugnat contra libidines: Prudentia contra errores: Fortitudo contra adversitates: Justitia contra iniquitates. Porrò in Caritate semper est perfecta Caritas: ideoq; non est ibi libido, cui repugnet Temperantia. In Caritate est perfecta scientia: ideoq; nullus error, quem Prudentia eliminet. In Caritate vera Beatitudo est: ideoq; nulla adversitas, quam Fortitudo expugnet. In Caritate omnia fiunt tranquilla & coæquata: ideoq; nulla ibi inæqualitas, quam justificari oporteat. Deniq; nec Fides virtus est, nisi per dilectionem operetur: nec Spes virtus est. Rursus si velis virtutum naturam æstimare subtilius; quid est Temperantia, nisi Amor, quem nulla voluptas illicit? Quid est Prudentia, nisi Amor, quem error aliquis non seducit? Quid Fortitudo, nisi Amor, qui nulli adversitati succumbit? quid deniq; Justitia, nisi Amor, qui quod suum est unicuiq; distribuit?

26.

27.

Cap. 22. Quod Caritas est Sabbatum, & sex Virtutes, quasi sex dies ante Sabbatum.

Sicut autem Caritas est vera mentis humanæ requies, perfectum Sabbatum: sic VI. prædictæ Virtutes

1.

tutes Fides, Spes, Temperantia, Prudentia, Fortitudo, Justitia sunt quasi quædam dies operationis. Caritas verò quædam luminosissima dies est tran-
Ps.38,8 quillitatis & pacis. *Et nunc quæ est exspectatio mea,*
Ps.9,17 *nisi tu Domine?* *Si fortè desiderium pauperis ex-*
Job. 3, *audivit auris tua, ut ad modicum tempus requiescam*
13. *cum Regibus & consulibus terræ, qui ædificant sibi solitudines, aut cum Principibus, qui possident aurum, & replent domos suas argento.* Porrò lux ad momentum mihi permittatur, requies ab exactoribus Pharaonis. Utinam mihi sabbatizare liceat
2. vel horâ dimidiâ. Utinam mihi detur *vacare & vi-*
Ps.45. 10. *dere, quoniam Deus ipse est!* Ipse est Sabbatum animæ quærentis eum; imperans diligentibus se tranquil-
Ps. 41. lum & impermutabilem Sabbatismum. O quàm beati sunt, qui *ingredientur locum tabernaculi admi-*
4. *rabilis usq; ad domum Dei, atq; in voce exultationis & Confessionis tripudiant & exultant*; memores tuorũ
Hab.4. verborum Jesu, cum Habacuc Prophetâ cantan-
18. tes: *Ego autem cantabo & exultabo in Deo Jesu meo.*
3. Sabbatizat Judæus, quia legit Deum VI. diebus ope-
Gen. 2. ratum fuisse, & quasi labore operis fatigatum die
1. seq. septimo quievisse. Non est Deum hoc cogitare,
Gẽ 2,2. sed in Dei contumeliam idolum fabricare. Non la-
Ps.148. boravit operando creator: sed *dixit & facta* omnia;
5. pro beneplacito suo *mandavit*, *& creata sunt* uni-
4. versa. Summa & æterna est scientia, æternus Deus, nullio indigens, plenè sibi sufficiens, in suâ tranquillissimâ Caritate indeclinabiliter & immutabiliter manens: & mutabilia operans requiescit in se, vita

in se

in se vivens, beatorum pax, indeficiens quies. Quocirca sicut in successione dierum manè & vesperi vicissim variantium creaturæ mutabilitas designatur: sic in Deo, cui nihil advenit, nihil præterit, aut succedit, æterna tranquillitas, & quieta æternitas intimatur. Notandum verò, quod operibus Dei Senarius, septenarius divinæ quieti adscribitur. Nimirum senarius numerus perfectus constat ex partibus suis. Si enim conjunxeris unum, duo, tria; perfectum habebis Senarium: qui Dei operibus specialiter adsignatur: ut in rerum universitate nihil superfluum, nihil reperias imperfectum. Magnæ quidem excellentiæ dies est; in quo prima lux Deo jubente resplenduit. Nec mediocris prærogativæ dies est; in quo Deus superiores aquas ab inferioribus firmamento mediante divisit: Nec minoris arbitror esse dignitatis diem; in quo aquis in unum congregatis à Deo arida vestita est herbis, & arboribus decorata, venustata floribus, & fructibus fœcundata: Nec est dies ille reputandus inferior; quo Deus cœlum suis luminaribus adornavit, & juxta ipsorum successus singulorumq; vices excursum totius anni disposuit. Sed nec ille dies alienus à laude est; in quo Deus partem animantium in aquis, partem in aere collocavit. Ab istorum eminentiâ non degenerat dies sextus; in quo ad imaginem suam Deus plasmavit hominem, & vitam inspirans, universitati præfecit. Porrò diei septimæ præeminentia omnibus antecellit; in quò nullius rei creatio, sed

f. 6. I. II. III. 7. IV. V. VI. 8. VII.

omnium creaturarum perfectio, & Dei requies commendatur. De singulis diebus scriptum est: Factum est vesperè & manè dies unus vel secundus, & deinceps. At die septimo non manè, aut vespere, non initium aut finis adscribitur: dies enim requietionis, dies immutabilis & æternus.

9. Mutua siquidem Patris & Filii dilectio, svavissimi amplexus, amborum Caritas (scil. qua Pater in Filio & Filius requiescit in Patre) ipsa est eorum jucundissima quies, indivisibilis unitas, pax imperturbabilis, æterna tranquillitas, Spiritus Sanctus,

Joh. 15 11. qui ab utroq; procedit. Quod insinuans Filius Dei, inquit: *Patris mei mandata servavi, & maneo in ejus*

Joh. 10. 30. *Dilectione.* & rursum: *Ego & Pater unum sumus.*

Matt. 3. 17. & Idem de Filio Pater: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Expressa igitur congruæ col-

10. † lationis imagine, si sex diebus circa piæ intentionis opera exercemus; ut post sanctarum vicissitudines actionum, in tranquillo Caritatis, quasi in

11. vero Mentis Sabbato respiremus. Quocirca

I. *Fidem* ponimus primum diem, quo fideles ab in-

II. fidelibus, quasi lux à tenebris, separantur. *Spes* secundæ diei vicem obtineat, per quam ij, quorum conversatio in cœlis est, discernuntur ab aliis, qui terrena sapiunt, & liquescentes in seipsis, dilabun-

12. III. tur & defluunt. *Temperantia* quasi dies tertius illucescit, in quo membra nostra mortificantes super terram, carnalis concupiscentiæ fluxum quasi aquas amarissimas, certis conscientiæ limitibus coarcta-

coarctamus, ut terra cordis nostri appareat, & sitiens fontem vitæ, virtutum flores fructusque producat. *Prudentia* quasi dies quartus faciat scientiæ lumen erumpere, ut inter facienda discernens, dividat inter diem & noctem: quatenus sapientiæ lumen velut Solis splendor effulgeat; lux verò scientiæ spiritualis, quæ in quibusdam deficit, quasi lunæ lux minor, appareat: exempla etiam præcedentium Patrum, quasi stellæ inter dies & annos, mensesq; distinguant, quid videl. distet inter eos, qui ante legem, & eos qui sub lege, vel sub gratiâ profecerunt: ceremoniæq; præceptaq; judiciaq; promissa, sub quo intellectu nostræ saluti conveniant. *Fortitudo* autem sit dies quinctus, per quem in hoc mari magno & spatioso, quasi pisces spirituales, procellosa fluctuum molimina toleremus, & cohibeamus linguæ lubricum sub censurâ silentii: & quasi volatilia pennata, nunc ad cœlestia nos erigamus: nunc & condescentes operibus misericordiæ, fructus bonorum operum sub Dei gratiâ & benedictione reddamus. Construatur deniq; *Justitiæ* dies 6tus, per quam ad divinam imaginem reformati, bestialibus desideriis, vitiisq; reptilibus imperantes, corpus spiritui, spiritum Deo subjiciamus; & sic utriq; quod suum est tribuatur. Et notandum, quod Dominus nondum bestiis, nondum jumentis, non reptilibus, sed hominibus & avibus atq; piscibus benedicit; homini autem jumenta & bestiæ subjiciantur. 13. IV. 14. V. 15. VI. 16.

jiciantur. Iis enim, qui in se Dei repræsentant imaginē, jumenta i.e. corpora subjiciuntur, & bestiæ i.e. nequitiæ spirituales, de quibus Propheta prædicat:
Ps. 73. 20 *Ne tradas bestiis animas confitentium tibi.* Et Domi-
Hos. 2, 18. nus per alium Prophetam: *Auferam*, inquit, *malas bestias de terrâ vestrâ, & dormire vos faciam fiduciaaliter*: hæc est dormitio, & septimæ diei tranquil-
17. lissima quies. Dies enim 7mus est *Caritas*, dies
VII. Sabbati, dies requietionis, jucunditatis & pacis;
Ps. 4, 8. per quam homo securissimè dicit: *In pace in id ipsum dormiam & requiescam.* Ipsa est omnium virtutum conservatio, sanctarum animarū svavis refectio, tranquillæ mentis referiatio. Ipsa est 7mus dies, in qua manna cœlestis nos reficiet. Ipsa est mensis 7mus, in quo post diluvium tentationum
18. irruentium, arca svaviſſimè requiescit. Ipsa est id
Es. 66, 23 Sabbatum, quod Esaias propheta describens:
Exod. 25, 8. *Erit*, inquit, *Sabbatum ex Sabbato, & mensis ex mense: ut post septies 7mum annum, annus jubilæus incipiat*, annus placalis Domino, in quo sua singulis restituatur hereditas, plenaria jucunditatis an-
19. tiquæ possessio, & æterna libertas. Hìc latè epu-
Es. 65, 18 labimur ab introitu gloriæ ejus: & implebitur, quod Dominus in Esaiâ promittit: *Ecce* (inquit) *creo Jerusalem exultationem, & populum ejus gaudium: exultabo in Jerusalem, & gaudebo in populo meo: & non audietur ultra in eo vox fletus, & vox*
Ps. 58, 10 *clamoris.* Domine Deus quamdiu prolongabitur jubilæus? quando *præveniet me misericordia tua*,

ut

ut sit *portio mea in terra viventium? tu es Domine* *pars hereditatis meæ, & calicis mei, qui restitues hereditatem meam mihi.* Differtur equidem, sed non aufertur illa jucunditas. quâ *satiabor, cùm apparuerit gloria tua.* Iterum: *Comedam panem meum in sudore vultus mei, & cum lacrimis in mensurâ:* donec *vinum detur mœrentibus, & sicera his qui non bono sunt animo,* & tota deliciis illis absorbeatur anima mea, quarum primitias jam degusto. *Audite cœli & auribus percipe terra, quantum magnificaverit Deus nobiscum misericordiam suam.* Et quis abyssum tam ineffabilis gratiæ consideravit? quis de fonte tantæ dulcedinis gustavit; et non amavit? nonne Deo subjecta eris anima mea? quare non effundis in Deum universos affectus, quos dirigis ad vanitates & insanias falsas? *Quare tristis es anima mea? & quare conturbas me? numquid tibi non est Consiliarius* aut Salvator? *numquid resina non est in Gilead, aut medicus non est ibi?* *Revertere, revertere Sunamitis, revertere* ad Dominum tuum. Divulsa mea, dilacerata mea, perdita mea; sed Christi denique morte suscitata, Christi passione redemta, cur quæso diligis aliquem præter illum, qui tam benignè, tam misericorditer à tot miseriis te redemit? Jugi scrutinio & assiduâ meditatione revolve, qualiter unigenitus *Dei* patris, cùm esset *splendor & figura substantiæ* ejus, post *exinanitionem usq; ad formam servi*, post *famem*, post *sitim*, post *lassitudinem*, post *lacrimas*, post *vincula*

ps. 141, 6 *ps.* 15, 5. 20. *ps.* 16, 15. Gē. 3, 19. *ps.* 79, 5. Prov. 31. 6. *Es.* 1, 2. *Gen.* 19, 19. 21. *ps.* 41, 5. & 11. *ps.* 42. 5. *Mich.* 4, 9. 22. *Ier.* 8, 22 *Cant.* 6 12. *Heb.* 2. 3. *phil.* 2, 7 *Luc.* 4, 6 *Matt.* 21, 18. *Ioh.* 19. 28.

Joh.4,6 cula, post *fel & acetum*, post *coronam spineam*, post
Luc.19, *clavos & lanceam*, ob salutem tuam *inter duos la-*
14. *trones in cruce pendebat*: crucis equidem *cornua*
Matth. *in manibus ejus*: Sic de illis pius ille *Samaritanus*
27.2. *tuis vulneribus & vinum & oleum infundebat*. Porro
† 23. erat ibi abscondita fortitudo eius, & in amaritu-
Matth. dine mortis, dulcedo ipsius. O quàm magna vis
27,34. dulcedinis tuæ, Deus, quam abscondisti timenti-
Matth. bus te, testimonio Esaiæ: *Verè Deus absconditus tu*
27,48. *es, Rex Israël Salvator*. Moriebatur Salvator tu-
Hab.3.4 us, anima mea, ut te vivificaret: affixus erat cru-
Joh.20, ci, ut iniquitates tuas propriis manibus cruci affi-
25. geret: manus elevavit ad Patrem in sacrificium
Joh. 19, vespertinum, ut te ad amplexus amicabiles in-
34. vitaret: vitam quoq; suam, quæ in nullo mor-
Matth. ti obnoxia erat, pro te ad mortem obtulit; ut, dum
27,38. à principe tenebrarum justus injustè occiditur,
Luc.10. quia quod suum non erat usurpasse convictus est,
34. eâ, quam habebat, vitæ potestate privaret. In tan-
Es.45.15 to cumulo gratiarum, quo te largitio Divina quasi
† obruit & confundit, vide ne ingrata sis: ingratitu-
24. do enim peremtoria est salutis; ipsa est flatus a-
spidis, virus animi, uredo virtutum, ventus pesti-
lens & aura corrumpens stillicidia pietatis, ro-
rem gratiæ, & misericordiæ fluenta desiccans.
25. Adhuc dico: nihil est enim satis dictum, quod
semper dicendum, atq; recordatione continuâ
1Matth replicandum: Eras illi gravissimo creditori (An-
8,34. gelum Satanæ loquor) illi quidem immanissimo
exactori, tot debitis, tot peccatis, vinculo chiro-
graphi

graphi obligata, nec solvendo eras; *Dei autem* *ps. 69, 5.*
Filius non rapuerat, sed quia rapueras, pro te *solvit*,
(& quod dignatio propensior & gratia uberior
erat) non delegavit alium debitorem, sed dedit
animam suam in causam soluti. Cumq; ille Ange- 26.
lus transfuga & emansor deinde detestabilem pe-
teret ancillatum, Christus litem contra te posi-
tam suam fecit, & post diversas productiones te-
stium, legis, oraculorum, Prophetarum, signorum,
proverbiorum, sanguinem allegavit. Obtinuit alle- 27.
gatio illa tuæ sententiam libertatis: super calculo †
scriptæ sunt literæ in membranâ corporis crucifixi,
& confirmatæ *osculo misericordiæ & veritatis, ju-* *ps. 84. 12*
stitiæ & pacis occurrentium sibi. Deniq; impressum
est sigillum, plaga scil. lateris, quam in pretium
redemtionis nostræ & expiationem nostram conti-
nuam jugiter exhibet ante oculos. Adhuc extat ti- 28.
tulus causæ inscriptus in tantæ caritatis memo-
riam. Scias, quòd si te ingratam reperit, nec velle
tanto uti beneficio, exiget â te districtissimè mor-
tem suam: vereorq;, ne quandoq; indignantissi-
mè tibi dicat: *Tolle manum tuam, & mitte in latus* *Joh. 20*
meum dextrum, mitte digitos in fixuram clavorum, 27.
& vide quanta pro te passus sum. O ingrata, crude- 29.
lis, impia! non putas Deum de collatis tibi bene-
ficiis pœnitere, si ea viderit ingratitudine periisse?
propterea oratio nostra sæpe recipitur, & hoc piâ
Dei dispensatione fieri existimo, ut, qui de iis per-
ceptis beneficiis ingrati fuimus, ex novâ largiti-
one cœlestium munerum graviore culpâ ingra-
titudi-

30. titudinis oneremus. Cùm enim Deus beneficiũ perditum reputet, quod non confestim prosequitur actio gratiarum, expedit nobis, non audiri potiùs, quàm adcumulũ damnationis, ingratitudinis materiam obtinere quã petimus. Quã E. præsumtione
31. non diliges eum, qui te non diligentem dilexit? Vi-
Rom.8, de quæso, quâ compensatione, quo merito sum-
3. mæ & æternæ respondeas Trinitati. *Tradidit* pro te
Gal.2, Pater unigenitum suum morti; tradidit & Filius
20. seipsum pro tua salute in morte; datq; est deniq; tibi
Rom.5, Sp. S. testante Apostolo: *Quia Caritas est diffusa in*
5. *cordibus nostris per Spiritum S. qui datus est nobis.* Sic amat Spir. S. amat nos Trinitas tota, amat te Deus
ps.144,3 æternus, omnipotens & immensus: *cujus magni-*
ps.146.5 *tudinis non est finis, cujus sapientiæ non est nume-*
Phil.4, *rus, cujus pax exsuperat omnem sensum, â qvo &*
7, *in quo universa sunt visibilia & invisibilia, cœlestia &*
Col.1.16 *terrestria.* Sanè si eum diligis, facis hoc gratuito.
32. Attendito celsitudinem cœli & magnitudinem firmamenti, & modicum in locis paluſtribus lutum: talis est, & adhuc inæstimabiliter dispar comparatio tui ad eum, sicut luti ad cœlum; quæ enim collatio tui ad ineffabilem, ad incomprehensibilem, ad incomparabilem? Nihil ei ad mensuram minuti tribuere posses, si in retributionem eorum, quæ pro te sustinuit, te mille millies annis etiam gehennali incendio cruciares. Omnia quidem, quæ in Deo sunt, inæstimabiliter excellentiora sunt his, quæ nostra sunt. Ipse enim diligit ut Caritas, judicat ut Æquitas, disponit ut Sapientia, revelat ut Lux, misereatur ut Pietas, scit ut Veritas, operatur

ut

ut Virtus, præsidet ut Majestas. Circumscriptis 33.
autem omnibus, quæ ad dispensationem incarnationis suæ pertinent, diligenter attende, quod tibi universitas mundi de mandato ejus obsequitur. Omnis natura tuis famulatur obsequiis: Cœlum, Æther, Terra, Mare, & ea quæ in iis sunt, tuis pariter utilitatibus & oblectamentis inserviunt. Annua temporum revolutio flores, fructusq; arborum & herbarum redivivatione reformat, atque labentibus & repullulantibus naturis graminum antiquatis continua Dei munera tibi circuitus temporum submministrat. Recognosce anima, 34.
quando non eras. Cum autem melius esset esse, quàm non esse; gratiâ esse contulit, omnibus illis te præferens, quæ de non esse poterat producere, nec produxit, adjecit tibi speciem, &, cujus essentia de nihilo prodierat per gratiam Creatoris, ipse suâ te imagine & similitudine insignivit. Adhibuit cum pulcritudine vitam. Unde tanta & tam inaudita dignatio, ut fieres *ad imaginem & similitudinem ejus*, nisi ut simile tuum diligeres, & ei, qui te gratuitâ dilectione prævenit, dilectione mutuâ conformares: nimirum decenter diligendo retribuitur. Ei E. medullarum tuarum interio- 35.
ra exhibe ad diligendum, ama signaculum tuum & imaginem tuam. Et ut expressior in te forma tui creatoris appareat, ei qui Caritas est, te & caritate conforma, & in materiam gratiarum beneficia ejus jugi meditatione recogita. Amator tuus 36.
ad hæc exhortatione Prophetica te invitat: *Pone me,* Cant. 8. 6.

me, inquit, *ut signaculum super cor tuum, ut signaculum super brachium dextrum tuum*, ac si dicat; Pone memoriale tuum in corde & brachio i.e. in corde & opere: ut depositâ imagine terreni hominis, cœlestis imaginem portes, & attendens Divinæ dilectionis argumenta, quæ refelli non possunt: pone me super cor tuum, ut fidei signaculum, ut amoris
37. exemplum. Tale signaculum ante prævaricationem suam in se Angelus apostata exprimebat,
Ezech. testimonio Esaiæ dicentis: *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ & perfectus decore.* Ange-
28, 12. lus siquidem in suâ creatione tantâ Deo conformitate unitus est, ut esset potiùs signaculum similitudinis, quàm simile, vel signatum. De sigillo quippe talis similitudo imaginaliter exprimitur, qualis in eodem sigillo essentialiter habetur; & hoc homini competit. Angelus verò, pro suæ subtilitate naturæ, Deo expressiori similitudine adhærebat, quia totus & tantummodò Spiritus erat.
38. Nunc autem nos luteo inclusos carceri, & habita-
Sap. 9. tione terrenâ depressos, Caritas ad dignitatis An-
14. gelicæ statum reparat. Et licet *corpus, quod corrumpitur, aggravet animam, & deprimat terrena*
† *inhabitatio sensum multa cogitantem*: tamen peccato deformitas novum diligendi mandatum ad Dei
39. similitudinem nos reformat. Multiplicavit in te Dominus dicta sua; adjecit enim pulcritudini tuæ vivere, sentire atq; discernere: & in omnibus, quæ munificentia ejus contulit, & accepit indigentia tua, gratia ejus, non exigentia tui meriti, ante-

anteceſſit. *Deſponſavit te fide*: foris ornavit ſen- *Hoſ.* 2,
ſibus, quaſi quibusdam præfulgentibus gemmis; at 20.
verò interius, quaſi naturali pulcritudine, Sapien-
tiâ inſignavit. Novit, quis ornatus tibi competen-
tior eſſet, ideoq; dedit, qui te decuit: & in tantum,
ut propter hoc ipſe te diligeret, qui hæc dedit.
Sanè inſana es, ſi eum mediocriter amas, qui te 40.
tanto amore prævenit, qui tanta & tam pretioſa
largiens, majora etiam diligenti ſe pollicetur, *quæ* 1. *Cor.*
nec oculus vidit, nec auris audivit, quorum æſtimatio 2, 9.
in cor hominis non adſcendit. Ex ejus munere pen-
ſare teneris, quantùm ſit diligendus, qui tantùm di-
ligit, ut jam non tantùm temerarium, ſed etiam
nefarium debeas reputare, non ſolùm diligentem
non diligere, ſed tanti & tam præcellentis tamq; *pſ.* 44, 2.
potentis amorem, totis viſceribus, totis interiori- *pſ.* 13. 10.
bus præcordiis non amplecti. Omnium pulcer- 41.
rimus eſt: *Speciosus enim præ filiis hominum.* Ama *Ioh.* 1. 14
Sponſum, ama Regem in decore ſuo, *regem virtu-* *pſ.* 8. 5.
tum, plenum gratiæ & veritatis, coronatum gloriâ *Heb.* 2. 7
& honore, Dominum majeſtatis. Concupivit equi- *pſ.* 28, 3.
dem *Rex decorem tuum*, & munera, quibus te or- *pſ.* 44.
nare dignatus eſt, in tuum amorem ejus inclina- 12.
verunt affectum, amat te in muneribus ſuis. Si enim 42.
habes aliquod bonum, illud debes intelligere Dei
donum. Verbum Apoſtoli eſt: *Quid habes, quod* 1. *Cor.*
non accepiſti? ſi autem accepiſti, quid gloriaris, quod 4, 7.
non acceperis? ſi de aliquo gloriaris, quaſi illud à te
ipſo & non à Deo acceperis, furaris Deo quod ſu-

um

um est; honorem alterius tibi rapis: & te in alienam gloriam præsumtuosè intrudens, habes quidem gloriam, sed non apud Deum. Vide ergo, ne unquam tibi obrepat ingratitudinis nota: recole incessanter, te tuâ iniquitate perditam, ipsius misericordiâ reparatam. Stude illi placere modis omnibus, quibus potes, qui te talem facere dignatus est, ut placeres. Utinam te ipsam agnoscere, ut tui gratiam Creatoris in tuæ plenitudinis inspectione probares. Porrò oculus cuncta videns, seipsum non videns, ideò facies cordis tui quandoq; in speculo S. Scripturæ, quandoq; in speculo propriæ rationis, ne tuæ injuriam facias dignitati. Quod equidem facies, si vis tibi te abjectiora præponere, & ea, quæ decorem imaginarium & umbratilem habent, tibi, quæ in veritate pulcerrima es, coæquare. A tuâ dignitate nimis enormiter & ignominiosè te dejcis, si transitorias & inanes rerum pulcritudines appetis aut miraris. Mundus nimirùm propter te factus est; ideo mundum non ames; quia mundus non est te dignus, cùm sis eô longè dignior, & sole & lunâ & omnibus creaturis. Omnia quippe temporalis suæ pulcritudinis defectus agnoscunt, tu nec labore deficis, nec pallescis ægritudine, nec marces senio, nec morte tabescis, quocirca si aliquid diligis in hoc mundo, qui totus tibi subjectus est, humana temeritas est: nisi ea diligere velis, ut tibi servientia,

43.

44.

45.

ut

ut munera sponsi, ut amici xenia, ut beneficia Domini: nec ista diligas cum illo, sed propter illum: illum propter ista, & ipsum diligens super ista.
Degenerabis equidem in amorem meretricium, si 46.
plus amas dantis munera, quàm amantis affectum: donanti quidem injuriam facis, imò & meretricabili turpitudine dehonestas, si recipis dona, & dilectionis vicissitudinem non rependis. Ipsum E. dilige propter se, &, ut eo fruaris, omnia propter eum, dona ipsius dilige, te illi & illum tibi diligere ipsum, ut in eo ponas affectiones tuas; & cùm dilexeris ferventius, affectuosius diligaris. Hic amor Sanctus est, nil habens sordidum 47.
vel impurum, sed in Dei recordatione dulcissimus, omnes mundi supergrediens delicias, & quodammodo ex naturâ suæ subtilitatis æternus: illud autem jugi memoriâ teneas, quòd, quantò differentius præeminentior est essentia ejus fragilitate humanâ, tantò svavius, & incomparabiliter dulcius & delectabilius diligit atq; diligitur, quàm angelus, quàm homo, vel aurum, seu argentum seu lapis pretiosus, vel libertas, vel quæcunq; alia,
quibus corda hominum distrahantur. Nec te ab 48.
eo minùs diligi credas, si quibusdam animantibus terræ tecum pariter beneficium solis & lunæ & cætera gratiæ suæ dona communicat: nimirum quæcunq; illis donata sunt, propter te donata esse non dubites: ut enim tibi serviant universa, ipsa de divinâ bonitate necessaria sibi dona recipiunt, sine quibus esse, aut servire non possunt.

Nun-

49. Nunquid ideo videretur circa te dilectio ipsius intensior, si tibi soli omnia contulisset? Nunquid beatior esses, si sola habitares in mundo, & omnia, quæ in eo sunt, sine ullo socialis vitæ solatio possideres? quod si etiam malorum hominum societatē causaris, scias procul dubio, quòd sicut tibi & malis hominibus cætera serviunt; ita malorum hominum vitam facit Divina dispensatio in tuum
50. militare præsidium. Malorum siquidem societate ii, qui boni sunt, melius exercentur, docentur etiam affectare virtutes, & alia dona Dei, quibus ipsi carent: & quæ longè meliora sunt, quàm omnia quæ cum injustis hominibus possidentur. Denique cum videant malos revereri interitum, de suæ salutis exspectatione crescit eorum affectus in Deum, & te Divinis muneribus locupletem, quorum cum impiis nulla sequitur exhibitio gratiarum.
51. Cùm ergò *tibi omnia cooperantur in bonum*, cum
Rom. 8, 28, mali tibi exemplo, & boni solatio fiant, non reputes minus à Deo diligi, quia singulariter te non amat; qui tunc quâdam amoris singularitate te diligit, dum & bonos & malos in usum tuæ utilitatis inflectit, cumq; jure ipso & debito caritatis voluerit omnes alios æternæ beatitudinis esse participes, tua bona voluntas, bonum alienum tibi proprium facit: & Spiritus Sancti communicatione beatitudini tuæ omnium beatitudo accre-
52. scit. Fit igitur amor ex ipsâ communicatione singularis, dum nihil ex plurium participatione minuitur

huitur, & diffusus inomnes totus in singulis reperitur. Te utiq; usq; singulariter diligit; qui nihil sine te diligens, alia propter te diligit: licet enim amor diffundatur in plures, tamen est in singulis totus; ut omnes unice diligens, ab omnibus unice diligatur. Propterea hic amor unicus, non privatus; solus, non solitarius; communis, non proprius, nec usu deficiens nec tempore, nec participatione delitescens. Repone igitur in Thesauro memoriæ 53.
ac recole incessanter, quæ tibi à Deo donata sunt, †
ut nec deneges primitias, nec unquam super acceptis ejus beneficiis in gratiarum actione lentescas. Si recenseas diligenter effusam & indefessam circa te magnificentiã gratiæ Dei, licet ipse sit generalis omnium dispensator, videbis tamen eum circa commoditates tuas quasi totum & singulariter occupatum. Quocunq; te vertas, tibi sollicitus & diligens provisor adsistit. In tentationibus, & in meditationibus, in verbis, in consiliis, in operibus, in adversis, foris & intus ejus 54.
gratia in omni tribulatione remedium: Sanat infirmam, reducit erroneam, corripit delinquentem, consolatur afflictam, erigit lapsam, tristem lætificat, nec diu vacillare sustinet diffidentem. Illud, 55.
anima mea, tibi tanquam animæ consulo, sicut aliàs me recolo monuisse, ut primitias tuæ existimationis attendens, jugi scrutinio & solicitâ meditatione revolvas, quod speciosam te fecit, quòd multiplices gratiæ dotes adjecit, quòd cùm po-

ſtea per te fœda & fœtida facta eſſes, ipſe pius & miſericors gratuitâ benignitate ſuâ tuæ adverſioni compatiens, ſicut te non exiſtentem dilexit, ut
§6. concederet: ita conditam, ſed perditam ſua gratiâ
Jer. 3, 1. reparavit. Loquitur in Jeremiâ fons miſericordiæ, dicens: *Vulgò dicitur, mulier ſi dormierit cum altero viro, nunquid revertetur ad ſuum priorem? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, revertere tamen ad me, & ego ſuſcipiam, dicit Dominus:* Qui
§7. te integram & illibatam creaverat, tibi multiplicis gratiæ dona ſponſalitiâ liberalitate contulerat: tu vero amatoribus adhærens, dediſti ſponſo tuo libellum repudii, tuam integritatem expoſuiſti corruptoribus, & illicitos amplexus affectans divaricabas pedes tuos ſpiritibus immundis. Tandem frons meretricis tibi facta eſt. Noluiſti erubeſcere; ſed animo ad illicita ruens, te ipſam devolvebas
§8. in abyſſum damnationis æternæ. Ipſe verò tam excelſus, tam admirabilis, tam præpotens, tam inſignis, poſt lapſum adeò damnabilem, oculo miſericordiæ te proſpexit. Ipſe ut te de luto fœditatis eriperet, de ſuæ gloriæ majeſtate deſcendit; & ut tuæ corruptionis ignominiam aboleret, pro te dira,
§9. ignominioſa ſuſtinuit. Et ut multa paucis includam, ut te liberaret â morte, damnatiſſimæ ſe morti obtulit. Nec expreſſius, nec fidelius, nec dulcius, nec benignius exhibere potuit, quando te diligeret caritatis affectu. Tunc etiâ tuæ prævaricationis oblitus refundit tibi gratiam, quam amiſeras; redintegrat amorem, quem corruperas; nec ſua beneficia

cia tibi, nec tuos excessus improperat. Imò si ei humiliter & fideliter adhærere digneris, accumulabis gratiam, ut pulcrior, quàm unquam fueris, & purior fias: & quanta sit circa te dilectio ejus, ex tui lapsus reparatione cognoscas. Scies quàm fructuosum sit, eum diligere, qui tam ineffabiliter bonus, & incomparabiliter mansvetus, quòd nunquam fortasse sine tantis periculis experientiâ didiceisses: senties te ex infirmitate fortem, ex casu stabilem, tandem ex periculo securam, ex infelicitate felicem. Quocirca adhuc & iterum tibi usque ad nauseam replicabo, ut adsiduè cogites, quanta tulerit tantus pro te tantillâ & tam perditâ. Sanguinem & mortem suam posuit pretium suum, cum sit ejus sanguis inpretiabilis, & mors ejus æstimationis non recipiat modum. Illud etiam super omnia te cavere oportet, ut non arroganter de ipsius effusâ liberalitate præsumas; sed cotinuè recolas, qualiter te in lupanaris opprobrio prostitutam ab immunditiis sanguine suo lavit, amavit, integritati tuæ restituit; Amorem ipsius violentem reintegravit. Licet enim faciem ejus non videas, ipsum tamen tibi semper esse præsentem non dubites. Vide E. ne aliquâ indecentiâ tui, oculos præsentis offendas: Et scias indubitanter, quòd, qui te dilexit turpem, plenius diliget speciosam. Indue te ergo, quæso, veste innocentiæ; orna te qvasi veste polymitâ varietate virtutum: & qui te annulo fidei subarrhavit, in te odorare lætetur aromata gratiarum. Dilige, quæso te, tota Dominum &

60. 61. 62. 63.

sponsum tuum, virum tuum, solatium tuum, consilium tuum, auxilium tuum. Denique dilige illum, illum qui tibi est, quicquid optabile aut amabile esse potest. Dilige eum caste, devote, sancte, non
64. verbo, non linguâ, sed opere & veritate. Quære in amore tuo, non quæ tua sunt, sed quæ Domini. Sic enim diligere nos docebat Propheta, cùm di-
Ps. 105, 1. ceret: *Confitemini Domino, quoniam bonus, quoniam in seculum misericordia ejus.* De illo autem, qui
Ps. 48, 19. quærit quæ sua sunt, scriptum est: *Confitebor tibi,*
65. *cùm benefeceris mihi.* Sic ergo totam te jactes in eum, sic amando tota transeas in amatum, ut tui oblita, factaque apud te tanquam vas perditum, vivas in Christo, & â te ipsa deficias, ut possis dicere cum Prophetâ: *Defecit cor meum & caro mea*
Sd. 72, 26. *Deus in æternum. Domine, Deus meus tibi dixit cor*
Ps. 26, 8. *meum; exquisivit te facies mea:* Sed quando fiet hoc Deus? *Quando venies anima mea, & apparebis ante faciem Dei?* Quando sinistra in dextram convertetur? Quando te sponsus exhibebit *non habentem maculam, nec rugam?* cùm *fluminis impetus lætificat civitatem Dei*; cùm *templum sanctum, quod*
Ps. 45, 4. 1. Cor. 3, 16. 2. Cor. 6, 16. *tu es*, ornabitur coronis aureis: cùm *majestate Dei replebitur omnis terra*; cùm tibi exultanti in conspectu Dei, & delectanti ministrabit transiens, dico ab illa specie corporali, quam
Ps. 71, 19. Apostolis suis exhibuit, ad illam gloriæ speciem, in quâ est coæqualis, coæternus & omnipotens Deo
67. patri. Te itaq; in spe & exspectatione futurorum jugiter exerceas votis ac desideriis ac de percep-

tione

ptione præsentium sit apud te gratiarum actio,& vox laudis, habeas memoriam filii Dei pro tuâ miseriâ & sua misericordiâ crucifixi. Unicuiq; † molestissimum videretur, si compari suo magnum impendisset obsequium, & super beneficii exhibitione inveniret ingratum. Quid ergo faciet Dominus majestatis,si nos,qui cinis & pulvis sumus, tantæ misericordiæ ingratos invenerit? si enim aliquem indurat, judicat & condemnat; *Rom.* 9, non ab eo est, sed â nobis. Licet enim *cui vult* 18. *misereatur, & quem vult induret*, ipse tamen, cui proprium misereri semper & parcere,& *suas mi-* *Psl.*102,4 *sericordias coronat in nobis*, & malitias nostras punit. Ipse nimirum pater misericordiarum per Prophetam loquitur dicens: *Numquid voluntas mea* *Ezech.* *est mors impii, & non magis, ut convertatur & vivat*? Recole, recole, quod Deus Dei unigenitus pro salute tuâ *inclinavit cœlos, & descendit*, ut te *Psl.* 17,9. de luto fæcis exigeret, quodam artificio ineffabili manendo quod erat: usq; ad vagitus infantiæ, usq; ad livores & vulnera passionis, se â suâ majestate deposuit. Moyses Æthiopissam duxit; sed in eâ pellis nigredinem non mutavit. Te Filius *Num.* Dei reperit multiplici peccatorum turpitudine 12,1. denigratam, lacrimis suis & baptismo suo, tandem cruoris undâ elavit,& sibi exhibuit gloriosâ: Scisne, an ambigere potes, quanto sponso tuo sis inferior genere, specie & dignitate? Unde igitur tibi tantus & tam inæstimabilis honor, quod te sibi dignatus in sponsam eligere, per quem omnia facta

68.

69.

70.

71.

sunt, qui habet potestatem vitæ & mortis, Rex
Heb.1,3. cœli & terræ? *Splendor & imago substantiæ Patris,*
Matth. *in quem desiderant Angeli respicere*, cujus pulcritu-
18,18. dinem Sol & Luna mirantur; creator universita-
1. Cor. tis, Angelorum desiderium, *Deus gloriæ & Domi-*
2, 8. *nus majestatis.* Unde hoc tibi, quod te recipit in
Psl. 28, 3. sociam gloriæ & consortem regni, participem
thalami? quem cùm tetigeris, casta es; cùm co-
gnoveris, docta es; cùm videris, beata; & cùm
72. frui eo poteris, glorioſa. Fac ergo consîdat in
Psl. 44. te cor viri tui; *obliviscere populum*, nec mentem tu-
10. am declines ab eo, vel etiã ad momentum. Stat An-
gelus Domini, qui secet te mediam, si alienum
amatorem receperis, si erga eum tepuerit amor
tuus, sîte modicum indevotam exhibueris vel in-
73. gratam. Recole, quanta tibi fecerit Deus: attra-
xit te ad thronum gratiæ suæ, denuò ad thronum
gloriæ provecturus, quæ non audebas de scabello
pedum aut de veniâ cogitare. Quàm affectuosè,
Deut.6, quàm sincerè, quàm svaviter, quàm dulciter De-
5, um diligere tenearis, Dominus per Moysen (ait)
Matth. dicens: *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde*
22. 37. *tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totis viribus tuis.* Hoc
Marc. Dei præceptum exactissimam observantiæ utili-
12, 30. tatem sibi habet implicitam. Potest equidem ali-
Luc. 10, quis excusare, quod vigilare, jejunare aut labora-
27. re idoneus non sit; sed nullus excusare se potest,
74. quod amare non possit. De virginitate dicitur
Matth. consilium, non præceptum. *Qui potest* (inquit Do-
19,12. minus,) *capere, capiat.* Et Apostolus: *De virginitate*
1. Cor. 7. 25.

quidem

quidem præceptum non habeo, consilium do. Caritas autem à Deo præcipitur, ipsiusq; præceptum fortiter & enixè & sub minatione pœnali cordibus humanis indicitur. *Mandavit* equidem hoc 75.
mandatum Dominus custodiri nimis, &, ut ipse cor- *ps.* 118, 4
dibus nostris altiùs quasi clavum infigeret, velut crebros ictus sæpius inclinavit, prius ut *diligeremus ex toto corde*; postea subjungit, quòd *ex totâ animâ*; demùm adjicit, quòd *ex totâ virtute nostrâ*. Vel quasi clavus aut stimulus est hoc Præceptum. Nam *Eccl.* 12,
sicut Salomon dicit: *Verba sapientium stimuli sunt:* 11.
& quasi clavi in altum defixi. Nonne plus quàm sti- 76.
mulus est, aut clavus *sermo Dei vivus, & efficax, & Hebr.* 4,
penetrabilior omni gladio ancipiti? Sanè duritia cor- 12.
dis nostri hanc exigebat inculcationis instantiam; ut præceptum ad nostrorũ cordium interiora transiret, sicut duro stipiti clavus crebrâ percussione infigitur, donec interiùs adigatur. Expediebat 77.
etiam nobis, quorũ corda mundanus amor infecerat, & interiores animæ latebras obtinebat, ut ejiceretur de omnibus cordis cellulis: ut etiam princeps mundi hujus ejiceretur foras, exulans à corde nostro, ut in Deo maneret, & Deus in eo. Sed quis to- 78.
tum cor suũ habere confidat, cùm propheta de cor- *ps.* 39, 13.
de suo conqueratur, & dicat: *Multiplicatæ sunt (i. e. iniquitatis) super capillos capitis mei, & cor meum dereliquit me.* Et iterum sui cordis recuperationi congratulans: *Invenit*, inquit, *servus tuus cor suum, 2. Reg.*
ut oraret te oratione hac. Sæpe in libro experien- 7, 27.
tiæ legimus, quomodo à corde nostro relinquimur. Nunc est nobiscum, nunc alibi, nunc avo- 79.

lat, nunc recurrit, & in solâ lubricitate manens, in nullâ unquam sui soliditate subsistit. Quomodo igitur diligâ toto corde, qui â toto corde meo excidit? & quomodo cor meũ habere valeo, totum nisi Deus fecerit meum? Nihil equidem de corde meo habiturus sum, nisi quantum Deus fecerit meum.

80. Porro si omnes affectus & intentiones ac motus mei cordis, Deo adjuvante, in ipsum dirigerem, fixosq; in eo immobili devotione tenerem; insuper & medullas animæ meæ ille cœlestis ignis accenderet, de quo Propheta commemorat: *Ignem misit Dominus in ossibus meis, & erudivit me*, libe-

Thren. 1, 13.

81. rum forsitan esset mihi toto corde diligere. Nunc autem *imperfectum nostrum videant oculi tui Deus*, ut, si, quantum debemus, non datur nobis diligere, saltim quantum possimus diligamus; si recolamus beneficia Dei; non equidem tantum, in quibus per carnis dispensationem *visitavit nos oriens ex alto*; sed quotidiana, & ferè continua, quibus nos in angustiâ & afflictione spiritus constitutos, Pater

Ps. 139, 16. *Luc.* 1, 78.

82. misericordiarum assidue consolatur. Quis enim unum pro mille rependere aut reddere possit, qui tot miserationes inculcans & ingerens, & in omnibus nobiscum magna faciens, tam crebris munificentiis obruit & confundit! Ut E. cor nostrum, totum in gratiam suæ dilectionis alliciat, & ab amore mundi nos prorsus avellat cum amicis ipsius: (& hoc nos docet sacra eruditio) cor nostrum ad amorem suum paternâ lenitate invitat. Quod enim præcipimur *Dominum diligere ex toto corde nostro, ex totâ animâ & ex totâ mente*, perinde est

Deut. 6, 5.

ac si

ac si instruat Deus diligere se dulciter, prudenter & fortiter.

Cap. 23. Quod sicut diligendus est Deus in beneficiis suis dulciter, sic in promissis suis prudenter.

Deniq; cùm ex toto corde diligendus sit Deus in beneficiis, sicut in superiori tractatu perstrinximus, sic eum totâ animâ in suis promissis amare tenemur. Ille quidem, qui *Veritas est*, qui servare nosci & vult & potest; promittit nobis requiem â labore, securitatem â timore, gaudium â mœrore, resurrectionem â morte, vitam æternam â transitu hujus vitæ. Promittit regnum cœlorum, resurrectionem in mensa Patris, promittit *quod nec in cor hominis ascendit, sicut juravit ad Abraham Patrem nostrum daturum se nobis.* In omnibus promissionibus suis excitat desiderium nostrum, ut ad ipsius promissiones, quæ omne desiderium superant, totâ animæ possibilitate curramus: licet enim sine modo debeat esse ad hoc hominis desiderium; tamen ex defectu hominis in se recipit modum, quod desiderium circa Dei promissiones modum excedat, non habet hic excessus excessum. Et hæc est impatientia commendabilis; dum spes differtur, cruciat animam: & amor ex desiderio juge recipit incrementum. *Quemadmodum*, inquit, *desiderat cervus ad fontes aquarum; ita desiderat anima mea ad te Deus.* Apostolus autem, etiam patientiæ impatiens: *Coarctor, inquit, ex duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo, multò magis melius: permanere autem in carne magis necessarium*

1. Joh. 14, 6.
1. Cor. 2, 9.
Luc. 1, 73.
2.
3.
pſ. 41, 1.
phil. 1, 23.

propter nos. Sponsa etiam desiderio sponsi ardenter & impatienter exæstuans, atq; cœlestium virtutum Sanctorumq; precibus suos commendans affectus: *Ad juro vos,* inquit, *filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum, nunciate ei, quia amore langueo.* Cant. 5, 8.

4. Et notandum, quod amor, qui procedit ex desiderio promissorum, proprius est animæ. Nam in sanctorum desideriis hæc affectio animæ frequenter exprimitur. Ut est illud: *Concupiscit & deficit anima mea in atria Domini*; & item: *Sitivit anima mea ad te Deus.* & in alio Propheta: *Nomen tuum & memoriale tuum in desiderio animæ*; *Anima mea desideravit te in nocte: Sed & Spiritus meus in præcordiis meis*; *de mane vigilabo ad te.* Psf. 83, 1. Psf. 41, 2. Esf. 26, 9

Cap. 24. *Quod Deus in suis judiciis sit diligendus fortiter.*

1. Sicut autem ex beneficiis Dei procedit affectio, quâ Deum toto corde diligimus, unde desiderium surgit, quo mediante, Deum totâ anima affectamus: sic ex judiciis Dei causam & initium habet amor, quo Deum tota virtute totisq; viribus i. e. fortiter & constanter amamus. *Est* enim *judicium Dei desiderabile* juxta illud: *Aspice in me, Domine, & miserere mei secundùm judicium diligentium nomen tuum.* Psf. 118, 132. 2. Et est *judicium terribile*, de quo dicitur: *Non intres Domine in judicium cum servo tuo.* Psf. 142, 2. Ex hoc horrendo judicio nemo Deum diligat, aut seipsum. Deus itaq; justissimo judicio suo quibusdam hîc misereatur, non miserturus in futuro: quosdam autẽ flagellat tanquam iratus,

ut

ut ira & flagellum ipsius afflictis sit in gratiam. *Dimittit illos secundùm desideria cordis eorum, ut eant in adinventionibus suis, ut iniquitatem iniquitati adponant: &, qui in sordibus sunt, plus sordescant.* De hac misericordiâ, & de hac irâ Propheta loquitur dicens: *Quis sapiens, & custodiet hæc, & intelliget misericordias Domini?* & Idem: *Quis novit potestatem iræ tuæ? aut præ timore tuo iram tuam diminuet? O quàm magnifica sunt opera tua, Deus! nimis profundæ factæ sunt cogitationes. Vir insipiens non cognoscit; & stultus non intelliget*: propterea *prosperitas stultorum perdet eos.* Quod si à Domino corrigantur, neq; mundantur, neq; emendantur; sed est emendatio eis suæ destructionis occasio, juxta illud: *Destruxisti eos ab emendatione.* Isti inter flagella Dei murmurant & blasphemant, & pœnis præsentibus pœnas gehennales accumulant. Sancti verò Domini flagella ipsius diligunt propter Deum. Gratias etiam agunt Deo de judiciis ejus, se accusantes, & cum Propheta dicentes: *Omnia quidem fecisti, quia peccavimus tibi; sed da gloriam nomini tuo.* Talibus convenit illud Propheticum: *Exultaverunt filiæ Judæ propter judicia tua, Domine.* Sunt qui non solùm judicia Dei sustinent patienter, sed & ipsi se ipsos judicant, & manum adjuvant flagellantis, accusant se, & testificantur contra se ipsos: judicant, & propriæ sunt accusatores conscientiæ. Judicium Dei operatur patienter in afflictis: *Tribulatio enim patientiam operatur, patientia probationem, probatio verò*

pſ. 80, 12. *pſ.* 86, 28. *Act.* 22. 11. 3. *pſ.* 106, 43. *pſ.* 89, 12. *pſ.* 91, 5. 4. *prov.* 15, 32. *pſ.* 88, 45. 5. *Dan.* 3, 28. *Dan.* 3, 43. *pſ.* 96, 8. 6. *Rom.* 5, 3.

ſpem

spem: spes autem non confundit. Quomodo enim
7. esset confusio, ubi est quod spem & fiduciam tran-
ps. 118, scendit, æternæ scil. gloriæ certitudo? Sub hac
43. exspectatione Propheta dicebat: *Domine in judicio*
ps. 118, *tuis superspera*vi; & Idem: *Judicia*, inquit, *tua*
p. 39. *jucunda*; & Idem: *Judicia Domini vera, desidera-*
s. 18, 11. *bilia super aurum & lapidem pretiosum multum: &*
& 12. ps. 48, 5. *dulciora super mel & favum. Cur* ergo *timebo in die*
malâ? Consultius est hîc puniri, hic nos accusando & judicando torquere, quàm incidere in manus Dei viventis, & in die tremendâ damnationis æternæ supplicium â terribili & inexorabili judice exspectare.

Cap. 25. Quod probatur Caritas in obœdientiâ mandatorum Dei.

1. Deus totâ mente diligendus est in suis mandatis. Vult enim Deus, ut tota mens hominis ita se inclinet ad obœdiendum, ut omnes sensus & affectiones suas impendat observantiæ mandatorum cœlestium. Obœdire siquidem Deo, est voluntati ejus per omnia consentire; & sic, obœdiendo vivere: quia vita est in voluntate ejus. Cum autem voluntas ejus exprimatur in mandatis ipsius, nec Deum quis potest diligere, nisi ejus diligat voluntatem: constat neminem Deum posse diligere,
2. nisi diligat mandata ejus. Deniq; probatio est dilectionis, ex mandatis Dei, si in eis meditamur; si secundùm ea operamur; quod insinuans Propheta: *meditabor*, inquit, *in mandatis tuis, quæ di-*
ps. 118, 47 & 48. *lexi.* Ecce solicita meditatio! Et: *Levavi manus*

meas

meas ad mandata tua, quæ dilexi. Ecce diligens operatio! *Exercebor in justificationibus tuis.* Ecce justificans exercitatio! De meditatione scriptum est: *Quæ præcipit tibi Deus, hæc cogita semper.* Co- 3.
gitentur siquidem mandata Dei, quàm sancta, *Eccl.* 3,
quàm honesta sint, quàm dulcia, quàm salubria, 22.
quàm fidelia, & confirmata in seculum seculi. In elevatione manuum sancta operatio designatur, cui justus libenter insistit: certus est enim, quod meritis ejus æterna retributio exuberantissimè respondebit. Jugis verò exercitatio luctam sibi annexam habet, laboremq; continuum: justus autem pugnat, ut coronetur, receptursus ab eo requiem pro labore, qui fingit laborem in præcepto. Est 4.
itaq; probatio Caritatis, utrum sit vera, si homo Dei mandata dilexerit: si ei scil. in meditatione, operatione, & operum exercitatione servierit; cui servire, regnare est. Mandatorum siquidem obœdientia nullius est meriti, nisi ex Caritate procedat. Sola etenim obœdientiam præstat Caritas. Aud: *Joh.* 14,
eum, qui Veritas est: *Si quis diligit me, sermonem* 24.
meum servabit, Item: *Qui non diligit me, sermonem meum non servat*; manifestè insinuans quod si quis diligit, obœdit; si non diligit, non obœdit. Vera sane obœdientia inseparabiliter caritati adhæret, propter quod scriptum est: *Qui offendit in* *Jac.* 2,
uno, factus omnium est reus; quod in bono mandato- 10.
rum breviter exponi potest, ut de similibus censura similis habeatur. Huic mandato, *Non occides,* 5.
ille qui diligit & non occidit, in dilectione obœdit:

qui

qui verò non diligit, & non occidit, mandatum quidem ad literam facit, at non secundùm mentem mandati, quia non diligit. Legem autem facere, non est verba legis exterius sequi, sed mentem & intentionem legis obœdienter implere: quia E. non est sincera obœdientia, quæ ex imâ dilectione non fit, non dicitur obœdire, qui non diligit, licet non occidat: eò quòd legem opere
6. tantùm, & non intentione purâ, custodiat. *Caritas*
1. Cor. siquidem *patiens est, benigna est*, in quibus obœdi-
13. 4. entia commendatur: *non agit perperam*, quia nihil contra conscientiam facit suam, *non inflatur* de beneficiis Dei: *non est ambitiosa*, quia omnem respuit dominatum: non *quærit quæ sua sunt*, sed quæ Christi vel proximi sui: imò etiam ablata non repetit: *non irritatur*, ad iracundiam subaudi: *non cogitat malum*, ut malum pro malo refundat: *non gaudet super iniquitate*, subintellige alterius; ejus enim iniquitas nulla: *omnia suffert patienter*: *omnia sperat* dicta vel promissa à Deo:
7. *omnia sustinet* obœdiendo humiliter. Qui E. ex Caritate obœdit, legem mandatorum Dei adimplet, quam sine Caritate aliquis omninò implere non potest: ideò est ipsa finis legis, mandatorum impletio, & terminus. Perfectæ consummationis vidi finem latum mandatum tuum nimis. hæc est testimonium conscientiæ nostræ, hæc est gloria nobis obvenientis à *Spiritu* veritatis, qui *perhibet*
Rom. 8, 16. *testimonium Spiritui nostro*, quò filii Dei sumus, rege-
1. pet. 1, 4. nerati in spem vitæ per resurrectionem Jesu ex mortuis.

tuu. Quam regenerationem Joannes Evangeli- 8.
sta insinuans, dicit: *Scimus quia qui natus est ex Deo* 1. *Joh.*
non peccat; quia cœlestis generatio, innovatio 5, 18.
scil. Caritatis eum servat, i.e. Caritas, per quam 2. *Reg.*
prævidit Deus, eum fieri conformem imagini sui 11, 2.
filii. Nam etsi David proditioni adulterium ho- *Marc.*
micidiumq; adjecerit; licet 7. Dæmonibus Mag- 16, 9.
dalena laboraverit; licet Petrus culpam Apostasiæ *Matth.*
incurrerit: Caritas vitæ innovatio est, per quam 26, 57.
crucifigitur in nobis vetus homo, terrenus, carnalis *Luc.* 22,
& animalis. Sic ambitiones & concupiscentiæ 58.
mala opera, prava desideria, Caritate nova faciento *Joh.* 18,
omnia, evanescunt. Nunc autem, si nova creatu- 25.
ra est, in ipsâ vetera transierunt.

Cap. 26. *De dilectione proximi & progressu ejus.*

Caritas nunquam otiosa est: semper in alterum 1.
se porrigit, vel in proximum, vel in Deum. Natura nimirum Caritatis est & amare & velle amari. Sicut enim ignis non potest non ardere; Sic Caritas non potest non amare. Amor siquidem *Luc.* 12,
ignis est: & ideo amare, ardere est: *Ignem*, inquit, 49.
veni mittere in terram. Ignis semper ad exterio- 2.
ra se porrigit, & incendens alia exterius, in se crescit. Sunt equidem homines amantes se, & suis inservientes desideriis: Hi mortui sunt viventes, sicut scribit Apostolus de *viduâ, quæ in deliciis mortua* 1. *Tim.*
est; proprium amorem seu privatum Apostolus re- 5, 6,
prehendens: *Erunt*, inquit, *homines seipsos amantes* 2. *Tim.*
ita solliciti circa propriam curam, ut de proximi 3, 1.
utilitate non curent. Dilectio sanè se transfundit 3.

in

in alium, quia esse solitaria dedignatur. Nam vult communicari alii, ne sit sola. Quia igitur illo summo & beatissimo bono, cùm illud obtinuerimus, unusquisq; pro sua capacitate fovetur: capaciores autem erunt omnes simul, quoniam singulariter, si per se censeatur, procul dubio cu-
† mulatior erit illa felicitas. Sed quod plenè habere in se non potest, habere possit in altero. Verum habere suum, vel facere bonum alterius, in eo dilexerit. Sed nec bonum in altero diligit, ni-
4. si alterum ipse amet. Congruè igitur, secundo præcepto, divinæ legis auctoritas nos informat:
Lev. 19, 18. *Diliges*, (inquit) *proximum tuum.* Cœterùm quia Deus, summa nostra beatitudo, est fructus, & in
Matth. 5, 43. Marc. 12, 30. nobis atq; in proximo, ideò ipse ex toto diligendus est tibi, *ut diligas eum ex toto corde tuo, ex totâ animâ tuâ, & ex omni virtute tuâ.* Propterea, quia de felicitate proximi tantùm gaudebis, quantùm de propria, rectè subjungitur: *Diliges proximum tuum*
5. *sicut te ipsum.* Duo igitur nobis diligenda sunt ad fruendum, Deus, & Proximus; dissimiliter tamen: Deus, ut eo fruamur in se ipso & propter se ipsum: Proximus, ut ipso fruamur in Deo & propter Deum. Propriè autem dicitur: Fruamur Deo; proximo au-
Phil. 2, 20. tem, impropriè; licet Apostolus ad discipulum dicat: *Ita ego te fruar in Domino.* Cùm autem scriptum sit:
1. Joh. 4, 16. *Deum nemo vidit unquam*; *Deus* tamen, qui *lucem habitat inaccessibilem*, nostris cordibus sæpe aliquantulum suæ lucis clementer infundit, cùm ipse
1. Joh. 4, 11. sit Caritas, per Spiritum Sanctum se nobis pro modulo

modulo noſtræ infirmitatis inſinuat, cumq; de illo ſcriptum ſit: *Domine, apud te fons eſt vitæ, & in lumine tuo videbimus lumen*; ipſe nihilominus eſt *fluvius, cujus impetus lætificat civitatem Dei*: ipſe per Eſaiam Prophetam dicit: *Ecce ego declino in vos ut flumen pacis, & ut torrens inundans gloriæ gentium.* Et quæ eſt hæc civitas, quam fluminis impetus lætificat, quæ â voluptatis & gloriæ torrente potatur; niſi eorum communio, quorum unum cor & animam unam facit Deus in glutino caritatis? *Diliges*, inquit, *proximum tuum ſicut teipſum*; ac ſi dicat: Dilige conſortem tuæ naturæ, qui tibi futurus eſt conſors gloriæ meæ; Dilige te ipſum in altero: agnoſce in imagine mea, & propter me miſericorditer age cum proximo tuo, ne tibi apud me miſericordiæ aditum intercludas. Quocirca Deus bonorum noſtrorum non indigens, nobis pro ſe delegavit fratres & proximos noſtros, quibus quaſi ejus vicariis beneficia impendamus; qui ſi egent, eisdem exhibere velimus. Quomodo enim quis Deo, qui nullo eget, & quem videre non poteſt, impendit miſericordiam, ſi fratri, qui indiget & quem videt, compaſſionis affectum non exhibet? Prius equidem diligebat ſe homo propter ſe, & erat carnalis hic amor: prius enim, quod animale, deinde Spirituale: ideò autem hic amor carnalis eſt, quia *nemo carnem ſuam odio habuit.* Porrò ne de cætero hic amor evagetur in malum, apponitur ei frenum temperantiæ; & indicitur ei præceptum, quo conſortem ſuæ naturæ diligat,

Pſ. 35.10. *Pſ. 45.4* *Eſ. 66. 12.* 6. *Matt. 22, 39.* 7. *Epheſ. 5. 29.* 8.

† ut seipsum. Quantum E. homo seipsum diligat: dummodo proximum in mensuram ejusdem dilectionis admittat. Exigit autem amor proximi idem velle, idem diligere, idem appetere, & omnibus secundùm Deum in mutuis voluntatibus consentire.

Cap. 27. Quod in amore proximi debeat omnium esse plena communio.

1. Est equidem in verâ proximi caritate plena communio. Sive enim aliquid, quod deceat communicari, quis habeat, vel non habeat, tum Caritas illud habenti & non habenti communicat. Quod si habet, commune facit aliis, & amat in aliis, quod non habet. In adversis etiam specialiter habet locum voluntatum communio, per quam efficitur utriusqs unius necessitas: ut cùm unus patiatur dolendo, patiatur & alius condolendo. *Gratia* siquidem *domini nostri Jesu Christi*
2. Cor. 13,13. *& Caritas Dei & communio S. Spiritus* istos mutuæ comunionis affectus operatur in nobis. Nec enim Caritas sine communione est, nec sine communi-
Rom. 5. 5. one Sp. Sanctus: *Caritas* autem *diffunditur in cordibus electorum per Spiritum Sanctum, qui datus est eis.*

Cap. 28. Quod sancta communio manavit à Deo in angelos & homines.

1. De hac ineffabili unione, de qua filius dicit:
Joh. 10. 30. *Ego & Pater unum sumus*; emanavit quædam communio in Angelos, in quâ per Filium & Sp. San-
Ps. 32,6 ctum firmati sunt: scriptum est enim: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & Spiritu oris ejus omnis virtus eorum*

eorum. Propterea in eis est idem velle, idem nolle. Ideo amantur singuli à singulis, universi ab universis. Ad instar communionis Angelicæ diffusa est Dei Caritas hominum cordibus per Sp. Sanctum. Sic enim Dominus per Joëlem quandoq; promisit: *Effundam*, inquit, *de Spiritu meo super omnem carnem.* Hujus Spiritus communio procedit in hominum corda, ut scil. quæ propria sunt unius, fiant aliis ex caritate communia. Quod B. Petrus insinuans dicit: *Unusquisq; sicut accepistis gratiam alterutrum administrantes: Si quis loquitur, sicut sermones Dei: si quis ministrat, sicut ex virtute, quam administrat Deus, ut in omnibus honorificetur Deus.* Ab ineffabili fonte summæ Trinitatis divinationes accepit ista communio. & in unitate Spiritus, fidei, & baptismi Ecclesia prima fundata est. Sicut Apostolus breviter tangens: *Unus* inquit *Spiritus, una fides, unum baptisma*: In hac autem communione Spiritus, fidei & baptismi, erat multitudinis credentium cor unum & anima una. Ecce mira unio cordium, & identitas voluntatum. *Nec quisquam eorum possidebat aliquid, quod suum esse diceret, sed omnia erant eis communia. Dividebantur autem singulis, prout unicuiq; opus erat.* Sed quid sibi volunt ista communio & ista distributio? Si distributio erat ibi, quomodo E. communio? Nam distributio rem distributam ei, cui datur, appropriat. Communio autem habere aliquid proprium detestatur. Porrò Caritas, ab horrens quæ distribuuntur, non vult esse propria, sed ut in

Joel 2, 28, 2. 1. Pet. 4, 10. 3. Eph. 4, 4. Act. 4, 32. Act. 4, 35. 4.

1.Cor.12 communionem transeant distributa. Testimo-
4.seq. nio Apostoli: *Divisiones gratiarum* sunt, & *divisiones ministrationum*, & *divisiones operationum sunt.*
1.Cor.7. *Unicuiq; datur manifestatio Spiritus ad utilitatem*, &
7. *unusquisq; proprium donum habet ex Deo. Alius quidem sic, alius verò sic.* Facit autem Caritas, ut quod
5. unusquisq; accepit, non sibi, sed Deo, sed proximo accepit: ut non suam, sed utilitatem proxi-
1.Cor. mi, ex Dei munere quærat. *Caritas* enim non
13.4. *quærit, quæ sua sunt*, sed quæ Jesu Christi, aut in
6. Christo Jesu proximi sui Vides. oculo fidei, quod in illa Sanctissimâ Trinitate una est virtus, una essentia, quæ tribus personis communis est. Persona verò â personâ propriâ notatione discernitur. Nec beneficia communionis, aut potius unionis impedit, quòd solus pater est pater, vel solus filius filius: est enim pater non sibi, sed filio, cui de suâ substantiâ
7. genito dedit vitam habere in semetipso. Facit E. Caritas, ut omnia sint inter proximos communia: & tunc singulis propter propriàs necessitates propria sunt conferenda subsidia. Quod enim unus quisq; sibi recepit, â communionis beneficio non recedit. Habet enim & sibi & alii, quicquid habet,
8. imo alii amplius, minus sibi. Intelligant E. homines, quicquid recipiunt ex dono cælestis gratiæ, non suum, sed omnium esse; timeant obesse, si illud, quod eis â Deo indultum est, non faciant in commune prodesse. Eis enim gratia obest, si aliis per eos non prodest. Quod si communicant gra-
Matth. tiam, transferunt eam in Dei gloriam; propterea
25.24. qui

communicat donum, *ei dabitur & abundabit*; & sic verè habet id quod habet. Et verò, qui sic non habet, *& id quod videtur habere, auferetur ab eo.* Gratia si quidem Dei homini data est in creditum, & in causam mutui transit. Accipientem enim obligat Deo, & proximo: Deo, ad exhibendam gloriam; Proximo, ad gratiam communicandam. Hic est justus, qui miseretur & commodat. Homo verò delinquit, si contra pactum dati & accepti, seu crediti & mutui venire præsumat. Scriptum est enim *Mutuabitur peccator, & non solvet.* pſ.36,21

9.

Cap. 29. Quod non est Communio Bonorum ad Malos.

Huic fonti, huic sanctæ communicationi nō communicat alienus, avarus aut cupidus, ſ. quisquis est fidei Christianæ aut contrarius aut diversus. Qui autem dona Dei communicat, indivisos ad proximum conservat affectus. Iste, ut columba & turtur, Abraham ex præcepto Domini dividente vaccam, & capram, atq; arietem, & ponente contra se utrasq; partes altrinsecus, nullam recipit sectionem. Sit ergo proximorum individua communis affectio; sic tamen in unum, quod ibi non sit assensus in malo. Sic diligatur proximus, ne laudetur in desideriis animæ suæ. Qui enim peccatorem in hoc diligit, proximum bene odit; nam, sicut prædiximus, non est proximi vera dilectio, si non firmetur & fundetur in Christo. Christus *Eph.4.* equidem ipse est nostræ communionis vinculum, firmans inter nos *unitatem in vinculo pacis*; et quia

1. †

2.

Iob.25.1 juxta verbum Job, *facit pacem in sublimibus suis.*
3. Ipse est pax nostra, qui facit utraq; unum. Consi-
1.Pet.4. lio itaq; B. Petri *mutuam in nobismet ipsis caritatem*
8. *continuam studeamus habere*, quam sincera benevo-
lentia foveat, quam simulatio non adumbret, nec
suspicio interrumpat. Hanc hominum cordibus
Joh. 15. Christus imprimit, & exemplo confirmat: *Hoc*
13. *est*, inquit, *præceptum meum, ut diligatis vos invi-*
cem, sicut dilexi vos.

Cap. 30. Quanto sit dulcior amor, quo nos diligit Deus, amore, quo eum diligimus.

1. Quantùm præeminentior humanitate divinitas,
tanto amor Christi, quem habet ad nos, amore il-
lo, quem habemus ad illum vel ad proximum,
dulcior, firmior atq; profundior, violentior, pene-
trabilior, interior & compassibilior, ferventior
atq; suavior. Omnes maternos affectus, omnes
fratrum conjugumvè consensus, illa, quam habet
ad nos Christus, inæstimabili caritate transcendit.
2. Ipse paternæ gratiam lenitatis exprimens in scip-
Ier.3.4. so, fidelem ad animam loquitur dicens: *A modò*
Jer.3.19 *voca me, Pater meus es tu Dux virginitatu meus es tu.*
3. Et illud: *Patrem vocabis me, & post me ingredi non*
Es.66.13 *cessabis.* Ipse maternâ nos benignitate prævenі-
Es.49.15 ens: *Quemadmodum*, inquit, *Mater consolatur filios suos; ita ego consolabor vos*; & rursum: *Nunquid potest Mater oblivisci infantem suum, ut non misereatur filio uteri sui? & si Mater oblita fuerit, ego tamen non oblivisear tui.* Ipse in se modum super-
4. *Cant.4.* næ dilectionis assumens, animæ fideli sic loquitur:
12.

Hortus

Hortus conclusus soror mea. & iterum: *Vulnerasti cor meum soror mea sponsa.* Amicus est, cum & ipsa de illo: *Talis est*, inquit, *dilectus meus, & ipse est amicus meus.* Sponsus est, cùm de illo dicitur: *Gaudebit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus.* Hoc ergo sentiamus in nobis, quod in Christo Jesu, qui extendens manus in *discipulos* suos, *vocat* eos *Fratres*, & quod amplius, *Matrem & patrem atq; sororem*, omnem scilicet, qui sancte, qui caste, qui socialiter ejus aut proximi fecerit voluntatem. Cant. 4 9. Cant. 5. 16. Es. 62, 5. 5. Matt. 12. 48. Marc. 3. 32. Luc. 8. 22.

Cap. 31 *Quod ex mutuo membrorum nostrorum obsequio in amorem proximi erudimur.*

Illud etiã in proximi dilectione notetur attentius, quôd ipsa natura corporis nostri ad mutuæ caritatis etiam observantiam nos informat. *Multi enim unum corpus sumus, alter v. alterius membra.* Unus autem Spiritus universa membra vivificat, eorumque compages mutuis obsequiis & alternâ compassione conciliat. Oculus non solùmmodo sibi videt, sed dirigit gressus pedum. Os non sibi soli comedit, nec Stomachus sibi soli digerit; Sed utrumq; communi membrorum utilitati deservit. Lingua, si quod membrum læditur, molestiam illius suâ compassione, suam faciens, lædentem redarguit, dicens: Quid me lædis? Cor de communi utilitate solicitum, consilia membris omnibus profutura disponit. Manus, quæ nec famulari quandoq; membris abjectioribus erubescunt, 1. Rom. 12 5. 2. 3.

ſcunt, ſe in uſum publicæ utilitatis exercent. Quod ſi manus una caſu aliquo forte lædat alteram, illa quæ læſa eſt, non repercutit, nec ſe erigit in vindictam. Manus autem quæ lædit, quaſi ſe ipſam accuſans, remedia meliora, quæ poteſt, læſæ ſorori apponit: ex humilitate & ſolicitudine ſua ſibi indulgeri poſtulat: & omnem ſuſpicionem malitiæ,
4. ſtudio ſolicitæ compenſationis eliminat. Si manus oculorum obſequio vibratum in aliud membrum ſenſerit gladium imminentem, ipſa ſuum minimè diſcrimen attendens, plus alii quàm ſibi timens, gladium excipit: & ut alii parcatur, ipſa
5. ſibi non parcit. Sit ergo in nobis lex illa communionis, quæ in membris noſtris ſcripta eſt, ut unius Spiritus nos omnes quaſi unum corpus vivificet, ut per veram cordium unionem maneamus in Deo, & Deus in nobis, quatenus omne corpus per nexus & juncturas membrorumq; compages creſcat in menſuram plenitudinis Chriſti.

Cap. 32. *Quod ex Præcepto Dei teneamur diligere inimicos.*

1. Inter proximos diligere præcipimur inimicum, *Matth.* 5. 44. *Luc.* 6. 27. &, quod præcedentibus adverſari videtur, *odio habere amicos*, quod mirabili artificio caritatis diſpenſatio divina decrevit, ut ſcil. voluntas hominis, quæ promta in odium inimici, mandatæ dilectionis imperio refrenetur, et quæ nimis promta erat ad diligendum amicum, cenſurâ Divinæ legis, quæ amico indicit odium, temperetur. De virginitate, de Eleemoſyna, de Humilitate, de Poſſeſſione dimittendâ & dandâ pauperibus, de viſi-

visitandis infirmis, & de aliis operibus misericordiæ consilium habemus à Domino, & de his, licet adjunctam quandoq; utilitatem non habeat, retributionem exspectamus æternam. Veruntamen 3.
de inimici dilectione, certò & expresso decreto, Dominus in Evangelio nos astringit: ita quod si quis inimicum odit, Divinæ legis prævaricator existit. *Diligite*, inquit, *inimicos vestros; benedicite* Matth.
iis qui oderunt vos; & orate pro persequentibus & 5. 44.
calumniantibus vos. Et, modum mercedis adjun- Luc. 6.
gens: *Ut sitis*, inquit, *filii patris vestri, qui in cœlis* 27.
est. Summa bonitas, Deus: pro cujus amore vim tuæ voluntati facere te oportet: ut, sicut ipse solem suum oriri facit super bonos & malos; ita eodem oculo gratiæ amicum & inimicum, pro ipso respicias. Si autem eum diligas, quia te amat, 4.
lex amicitiæ hoc exigit. Si amicum pro Christo amas, hoc cedit ad meritum: sed tantò differentius & eminentius mereris gratiam Dei, si tuæ pro Christo imperans voluntati, inimicum diligis propter Deum. Audi quid Veritas in Evangelio dicat: *Si diligitis eos, qui vos diligunt, quam* Matth. 5
mercedem habebitis? Nonne hoc Publicani faciunt? 45.
sed & ursi & leones, & lamiæ circa suorum dilectionem, naturæ inserviunt. At si Christi discipulus es, aut professor, malefacientibus benefacere, & orare pro persequentibus te oportet. Exigunt enim ordo cœlestis justitiæ & Divinæ, & gloriæ æquitatis, ut qui jam illuminati sunt à sole justitiæ, orent ut & illuminentur eorum adversarii,

Ps.17.24 & qui tenebræ sunt, fiant lux in Domino juxta ora-
Rom.12. 17. tionem Prophetæ dicentis: *Quoniam illuminas lucernam meam Domine, Deus meus illumina tenebras meas.* Paulus dicit: *Nemini malum pro malo reddentes,*
1.petr. 3.9. Luc,23. 34. *nec maledictum pro maledicto.* Christus, teste B. Petro, *pro nobis passus, nobis reliquit exemplum, ut se-*
1.Cor.5. 15. *quamur vestigia ejus.* Ipse pro suis crucifixoribus exoravit. *Pater,* inquit, *ignosce illis, quia nesciunt*
7. *quid faciunt.* Hæc vestigia secuti sunt tam Jaco-
Act. 7. 60. bus & Stephanus, quàm etiam alii, qui inter angustias mortis, occisores suos totis præcordiis animæ, astrinxerunt amplexibus intimæ Caritatis. Ille siquidem, quem tuum reputas inimicum, sibi & non tibi, inimicus est; sibi obest, & non tibi. Cui nocere homo existimas, & ipse ad innocentiam te promovit. Scriptum est enim: *Abel esse non*
potest, quem Cain malitia non exercet. Si malum
Deut.32. 35. pro malo, maledictum pro maledicto retribuis, jus in causâ propriâ tibi dicis, teq; in re tuâ tibi ju-
Rom. 12 19. dicem faciens, ei, cui omne judicium dedit Pater,
Ebr.10 30. qui dicit: *Mihi vindictam, & ego retribuam*; quantum in te est, judicandi ac retribuendi potestate
8. destituis. Tuis igitur inimicis illum pro Christo, amorem exhibeas, quem te diligentibus exhibes: licet hoc tibi primâ facie videatur amarum, hoc amore dulcissimos in te fructus percipies. Novum quidem præceptum est, à quo emanat illa dilectio: nam cùm veteris legis edicto præcipiamur amicum diligere non umbraticè, non simulatoriè, sed opere & veritate: ideò Llator non

contentus

contẽtus dicere: *Diligite inimicos vestros*; sed aperte *Matth.*
insinuans voluntate & opere diligendos, adjecit: *5. 44. Luc. 6*
Benedicite iis qui oderunt vos; & iterum: *Si esuriet 27.*
inimicus tuus, ciba illum; si sitit, da illi potum; *Hoc e- Rom. 12.*
nim faciens, carbones congeres super caput ejus. 20.
Caput interioris hominis est ratio, nec aliquis est 9.
adeo crudelis, qui ad collata beneficia non mite-
scat; qui ad proximi benevolentiam odium odio
non habeat; qui cogitationes Caritatis, quasi car-
bones ignis, remoto caloreiracundiæ, non atten-
dat. In eo itaq; qui te molestiis inquietat, dilige *Psal. 138.*
imaginem Dei naturæ. Et sic peccatum ejus odio 22.
habeas, ut diligas peccatorem. Hoc est enim odi-
um perfectum: *Perfecto*, inquit, *odio oderam illos.*
Recole caritatem Joseph ad fratres impios, Moysi 10.
ad populum rebellem, David lugentis persecuto- *Gen. 43.*
res gravissimos Saul, & filium parricidam. Et vi- *30. Exod.*
de, quod licet Evangelicus Llator Christus pro- 32, 31.
prius promulgavit hujus dilectionis decretum: *2. Reg. 1.*
Multi tamen Patres antiqui, gratia inspirante, 17.
humiles, prius ipsius observantiam coluerunt. *2. Reg. 18. 33.*

Cap. 33. Quod secundùm diversos status homi-
num, in dilectione diversi sunt gradus.

Illud autem dignum adnotatione censemus, 1.
quòd in proximi dilectione, ordo & gradus eorum,
qui diliguntur aut diligunt, sæpius variat. Con-
stat enim quosdam aliis præesse, quosdam subes-
se, aliis verò coesse, quosdam etiam prodesse aliis,
vel obesse. His omnibus necesse est judicium di-
scretionis adesse. Superior quidem debet inferi- 2
orem

orem corripere: & necesse est ad virtutis opera districte compellere, sic tamen ut in correptione dilectio exhibeatur, in coactione compassio. Si vero inferior in ordine suo legitime coversetur, ut ad meliora conscendat, moveri potest, nisi salutaribus monitis vel exemplis: Maximè, si superior ad hoc inferiorem anhelare cognovit proprio de-
3. siderio voluntatis. Ad inferiorem pertinet consilium in dubiis â superiori petere, reverentiâ adsistere, supplicare devotè, humiliter obœdire. Debet æqualis suo æquali honesta suggerere, in lætis aut tristibus, congratulationis aut compassionis affectus impendere, ejus utilitati vel necessitati succurrere, se mutuò fovere, sanctis collocutioni-
4. bus & honore invicem prævenire. Eum qui praedest i. e. amicum, tenetur amicus in præcordiis animæ, & visceribus caritatis amplecti: eum vero qui obest id est inimicum, sustineat patienter, errata clementer indulgeat, & impendat illi necessa-
5. ria propter Deum. Sic autem diligendus est proximus, ut non habeatur ad illum caritatis affectus, quo supra te diligis Deum: nam si Deum non diligis, nec proximum diliges ut teipsum. Scias quod ex dilectionis mensurâ, quâ diligis Deum, potes existimare, quantum proximum diligas, vel teipsum. Porrò qui Deum non diligunt, nec se. Si autem non diligunt se, nec proximum sicut se. Ideò ex dilectione Dei potes, quam habes ad te & proximum, dilectionem certâ existimatione metiri.

Cap,

Cap. 34. Stulta est dilectio, quæ pro utilitate alienâ, suæ patitur animæ detrimentum.

Illi autem enormiter errant, qui sic arbitrantur unumquemq; proximum diligendum, ut duos plus quàm unum diligere teneantur, ut ex numero proximorum diligendi quantitas censeatur. Sane non dicitur: Diliges proximum quantitate, sed sicut te. Nec ex multiplicitate personarum multiplicanda est affectio caritatis. Sic enim centum, aut omnium universitatem tenerer diligere supra me. Quod omninò rationi obviat & saluti humanæ. Quam enim æstimationem dabit homo pro animâ suâ? vel *quid prodest ei ad salutem æternam, si lucretur universum mundum, suæ autem patiatur animæ detrimentum*? Nec videtur huic sententiæ adversari, quòd Moyses supplicans pro populo Israël, dicit: *Domine, aut dimitte iis, aut dele me de libro tuo.* Nec illud, quod Apostolus dicit: *Optabam enim ego anathema esse à Christo pro fratribus meis, qui sunt cognati mei secundùm carnem.* Moyses enim quasi materno affectu populum diligebat. Mater autem paupercula si non aliàs intromittatur ad desiderabiles sibi cibos, nisi foris filium derelinquat, quid diceret illa, nisi: aut mecum admittas filium meum, aut utriq; interdicas introitum? Affectum quidem Moyses prodidit, quem habebat ad populum, sed consilium non expressit. Sic etiam Apostoli verba ex affectu potius, quàm ex consilii judicio censeantur. Quidam tamen hoc verbum sic intelligunt, quod scil. amplius opta-

1.

2. *Marc. 12 31.*

3. *Ex. 32. 32 Rom. 9. 3.*

4.

5.

optabat pro fratribus suis anathema esse à Christo
i. e. à secreto meditationis, ab orationis instantiâ,
6. & à contemplationis arcano. Nam pro fratrum
salute quodammodo separabatur à Christo, qui
cùm orando & contemplando vacaret, ad mundi
strepitum & ad labores seculi rediens, quodam-
modo avellebatur à Christo. Sanè nullus aliquo
præcepto vel aliqua ratione tenetur salutem animæ
proximi, perditione animæ suæ, aut corporis ejus
liberatione citra spem perpetuæ salutis, proprii
7. corporis interitu, procurare. Quod & præcipi-
mur pro fratribus animas ponere ad vitæ contem-
tum, non ad animæ, pro qua Christus mortuus est,
pertinet detrimentum. Sic enim pro fratribus vi-
tam ponere, non est animam perdere, sed salvare.
8. Proinde ii, qui morte propria temporali Domi-
nos suos à morte redimunt, rectè quidem hoc fa-
ciunt, si potius salutem animæ suæ, quàm liberati-
onem alieni corporis in causia constituunt. Cùm
enim iis conscientia dicter, quod fidem dominis su-
is debeant exhibere; videtur etiam consonum ra-
tioni, quod suæ vitæ corporali, vitam dominorum
debeant anteferre. Verùm si pro captanda gloria
aut pro fama servanda tali se discrimini objecerint,
egerunt temerarie: quia in sola fama populari,
9. mercedem sui sanguinis posuerunt. Dilectione
itaq; & maximè pro salute multorum potest quis
salubriter morti suum corpus exponere. Ut autem
pro salute totius mundi, suæ patiatur animæ de-
trimentum, nec potest ratio, nec amoris regula,
tole-

tolerare. Animam enim suam pendere, est recedere à dilectione Dei, carere jussione illius, & sententiam perpetuæ damnationis incurrere.

Cap. 35. Secundùm mansiones animantium in Arcâ Noæ, adsignantur in anima dilectionis varii gradus.

Sic E. proximus diligatur, ut secundùm exigentiam meriti aut dignitatis ipsius, unus alteri præferatur: & major in exhibitione certi ordinis mensura servetur. Præterea sic graduum modos & ordinum status unicuiq; dilectionis censura distribuat, prout ei debentur. Ad cujus rei evidentiam exemplarem in animâ diligentis quasi in arcâ Noæ de imputribilibus lignis i. e. de sanctis compacta virtutibus adsignemus tristega & mansiunculas, & inimicos & amicos extraneos & familiares in sinu cordis, juxta singulorum dignitatem & ordinem collocemus. Bestias itaq;, bestiali scil. crudelitate grassantes, persecutores videl. nostros, receptaculis inferioribus deputemus, quibus & orationum suffragia, & solatia vitæ communis, ex Evangelica constitutione debentur: Quia non sunt mansiunculæ exteriores iis de hoc hominum genere, qui foris sunt, exteriora condimus. Illos vero qui nobiscum ejusdem fidei professione censentur, nequaquam ab interiori mansione repellimus: locum istis adsignamus superiorem reptilibus, jumentis, iis scil. qui terrena sæpiunt, aut qui ventri & libidini servientes, in stercoribus ut jumenta putrescunt, talibus & orationis consilium, flagellum-

1.

2.

3.

4.

gellumq; correctionis impendimus, & præ inferioribus, sed post superiores, vivendi subsidia indulgemus: in quibus qui proximitate naturæ, vel humanitate officii, vel beneficio nutriturae nos tangunt, interiora committimus: interiora cæteri non
5. merentur. Sunt qui nec bestias feritate; nec reptilia, terrenorum desiderio imitantur; Sed nec statum humanæ firmitatis, aut virtutem transcendunt. Inter istos autem, qui quanto nobis est aut carne conjunctior, aut gratiâ moralitatis acceptior, tanto sit nobis ad animæ præcordia & sinum caritatis interior. Sanè locus prædictº eminentior volatilibus cedit: Isti pennis virtutum supra hominem transcendentes, tanto sint in arca nostri spiritus altiores, quanto eos credimus Deo familiarius inhærentes. Inter quos illi, quos affectio nobis arctius glutino caritatis univit, secretius in nostri pectoris arcâ & suavius reconditi, exactissima cor-
6. dis benevolentiâ foveantur. His omnibus præeminet quidam glorioſior locus, cui hujus arcæ fa-
psſ. 44.2 bricator & rector, *speciosus formâ præ filiis hominum,*
Heb. 1 3 *splendor & figura substantiæ Dei Patris*, præsidet, o-
Sap. 8.1 mnesq; cæteros ordines ineffabili claritate serenâs, *attingit â fine usq; ad finem fortiter, suaviter universa disponens*: ipse hujus spiritualis arcæ latitudinem ad unum dilectionis cubitum lineari dimensione traducit: Ipse præ omnibus nostros affectus in se dirigit: Ipse in habitaculo cordis nostri & superiorem & inferiorem sibi locum exigens, à se ipso divitias gloriæ suæ nobis indefessâ & indeclinabili bonitate proponit. *Cap.* 36.

Cap. 36. De diversitate affectuum, ex quibus motus & usus dilectionis excitatur & fructus.

Juxta hanc ordinum varietatem & graduum diversitatem, formantur affectus; motum & usum dilectio mutuatur: Ad expressiorem vero notitiam affectuum dilectio nascitur, proficit, exercetur. Sciendum est, quid sit dilectio, qualiter in Caritatem transeat, vel ab eâ degeneret, aut in suæ nativitatis informitate subsistat. Judicio & existimatione quorundam, Dilectio est quædam vis animæ rationalis, appetitiva rerum quas sibi quis eligit ad fruendum. Et licet hæc vis animæ simpliciter in se sit quoddam bonum; homo tamen, pro suâ libertate arbitrii bene utitur hoc bono per gratiam adjutus: vel abutitur, per justitiam derelictus. Illius itaq; bonus usus bonum amorem & hominē commendabilem facit: è converso, abusꝰ ejusdem amorem malum, & hominem damnabilem facit. Usus autem versatur in tribus: In electione, in motu, in fructu. Electio est ex deliberatione: Motus ex desiderio & actu: Fructus ex utilitate pensatur. Et ex fine deliberationis quidem est discernere inter amara & dulcia; inter delectabilia & aspera; inter creatorem & creaturam; inter corporalia & æterna. Præcedit E. electio rei, quam quis desiderat ad fovendum. Ex illâ electione occultè movetur animus ad desiderium: ut cùm adeptus fuerit, quod elegerit, fruatur eo: idem cùm delectatur, utatur. Sic est electio, amoris inchoatio: motus desiderii actus: finis verò sive utilitas fructus. Si E. mens id ad fruendum elegerit quod oportet; 1. 2. 3. 4. 5.

& appetitus ejus moveatur, ut decet; eodemq; fruatur ut debet, tam discreta electio, tam competens motus, tam salubris & desiderabilis fructus merito Caritatis appellatione censetur. Sic electione Caritas inchoatur, exercetur motu, fruitione
6. perficitur. Verùm si animus eligat imprudenter, moveatur indecenter, turpiter abutatur, ex istis
† cupiditas oritur, invalescit atq; perficitur. Habes
Tim.6. itaq; duos fontes boni, & mali duas origines seu ra-
10. dices. Omnium enim bonorum radix est Caritas.
7. *Omnium malorum radix cupiditas.* Porrò iis erit deliberatio circumspectior, intelligentior, purior: oculus ratione acutior, considerans quantum homo alii creaturæ præcellit: quòd quicquid desiderabile est in mundo, perplexius hominem involvit miseriis, quàm promoveat ad beatitudinis statum, metiens suæ per omnia privilegium dignitatis: Vide quàm salubriter homini lex divina
8. præcipiat; ei soli obœdire, cui servire regnare est,
† & id solùm appetere, in quo solo, summa largitu-
† do est. Indignans E. divitiis aut deliciis tempo-
Deut.6 ralibus quosdam latriam exhibere. Non sint servi
13. avaritiæ, Idololatriæ, pecuniæ, ei duntaxat devo-
9. tam exhibet obsequelam, de quo S. Scriptura præ-
Matt.4 cipit, dicens: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi*
10. *soli servies.* Quia igitur intelligit homo, quòd tanta
†. scientia, tam sublimis & præeminens sit Divina
Deut.6 natura, ut sola possit hominem beatum facere, eum
5. sibi specialiter eligit ad fruendum quidem, beati merito videt obsequium singulare. Sic Dei dilectio inchoatur, sic promovetur, exercitio desi-

derii

derii comitatur. Ponit itaq; lex Divina, & quasi in corde hominis scribit primum de dilectione præceptum: *Diliges*, inquit, *Dominum Deum tuum*. Mat. 22. 37. Marc. 12. 3. Luc. 10. 27.

Cap. 37. De motu ad desiderium.

Porrò qualiter in electione rerum, quæ prætendunt umbratilem felicitatis imaginem, quosdam exagitet Spiritus vertiginis & erroris, jam delibavimus. Restatq; diligentius aperire, qualiter & quibus adminiculis ad electionem appetendorum moveatur. Fit autem motus vel intus ad desiderium vel foris ad actum. Ad desiderium sc. cùm quodam interno appetitu movemur & allicimur ad fovendum. Ad actum verò movemur, cùm ad aliquid exterius agendum quâdam amoris affectione compellimur. Et notandum, quòd amor quibusdam velut incentivis excitatur ad desiderium vel ad actum, quæ cursum amoris dirigunt, eiq; formarum diversitatem prò variâ sui qualitate præscribunt. Sunt duo præcipue, quæ movent & excitant animum ad desiderium & ad actum, eiq; diversas species imprimunt, Affectus & Ratio. Nec mirum; aliquando enim amoris affectus & ratio, vel ad actum exteriorem, vel ad interiorem stimulat appetitum. Affectus est erga aliquem quædam animi spontanea dulcisq; ac svavis inflexio. Affectuum verò alius Spiritualis, alius Rationalis, alius Officialis, alius Naturalis. 1. 2. 3. 4.

Cap. 38. De spirituali motu ad desiderium.

1. Spiritualis est, quoties Deus occultâ immissione gratiæ, vel alicuius verbo seu exemplo, aut correptionis paternæ flagello, aliquem ad diligendum, quod honestum est & salubre, invitat, ac
2. desiderium vitæ correctionis inspirat. Est etiam
Ps. 78, Spiritualis â contrario, quotiens in eum, quem
49. Deus reprobat, fieri *immissiones per angelos malos*
Os. 4. 12 permittit. Sic miser ad illicita defluit: Sicut de quibusdam Propheta commemorat: *Spiritus fornicationum decipit eos*, nî fallor. Ammon filius
2. Reg. David mali Spiritus immissione resolutus, affectu
13. 1. noxiæ voluptatis in propriæ sororis exarsit amplexus: domumq; tanti patris contaminans incestu, fratris in se gladium provocavit, futuri deniq; parricidii, quo patrem suum infelix Absalon regni cupidus infestaturus erat, causationem & materiam seminavit.

Cap. 39. De Rationali motu.

1. Rationalis affectus est, qui ex alienæ virtutis consideratione excedit. Hic affectus auditu nascitur: quoniam triumfali martyrum passione audientium accendit corda quâdam suavissimâ
2. Cor. devotione. Quis enim audiens in B. Pauli me-
11. 26. moriâ *pericula latronum*, & cætera, quæ longum
† est enarrare: insuper vocem fortitudinis: vocem
Phil. 4, virtutis: hominem in omnibus institutum posse
12. omnia in eo, qui ipsum confortabat: *paratum*
Act 21, *satiari, & esurire; abundare & penuriam pati;* pa-
13. *ratum alligari in Jerusalem; & animam ponere pro*
fratri-

fratribus suis; desiderantem dissolvi & esse cum Christo? Quis, inquam, hæc in animo solicita commemoratione describat, & non moveat eum quædam grata & suavis affectio? Quis recogitans verba constantiæ in B. Laurentio & B. Vincentio, cæterisq; Martyribus, quasi scintillantia de corde ignito, & non accendatur erga eos suavissimus amor, & promta devotio? Hic affectus in David & Jonathan sacratissimi amoris primitias consecravit, ac socialis vinculum gratiæ paternâ comminatione solvendum gratissimo fœdere mutuæ caritatis junxerunt. Visâ namq; immutabili pectoris in adolescente constantiâ, quâ loricatum gigantem puer inermis prostraverat: quod aliis fuisset invidiæ seminarium, fuit in Jonatha virtutis argumentum. *Anima* ergo *Jonathæ*, testimonio Scripturæ, *alligata est animæ David*: & *dilexit eum Jonathas quasi animam suam.* Hunc ipse Jesus misericorditer in se transformans affectum, intuitus *adolescentem, qui ei virtutes suas annunciaverat*, ut ait Evangelista, *dilexit eum.* Huic affectui contrarius est irrationalis, qui comperto alicujus vitio aut artificio turpi, aut Philosophiâ inani, aut stultissimâ in re militari audaciâ, alios ad indebitum ejus amorem inclinat; &, quod miserabilius est, multis, qui prodigi sunt, detractores, Deo odibiles, aut scurrilitatis aut secularis ineptiæ sectatores, hæc commemoratio plurimum favoris & applausus accommodat.

1. Joh. 3. 16. Phil. 1. 23. 2. 3. 2. Reg. 18. 1. 1. Reg. 18. 1. 4. Marc. 10. 21. 5.

Cap. 40. De officiali motu.

1. Officialem censemus affectum, qui obsequio conciliatur, ut, dum Moyses Ægyptii sævi-
Ex.2.21. tiam declinaret, officio sibi sacerdotis Madiam conciliavit affectum: cujus filias virgines, licet alienigenas, viriliter à pastorum improbitate protexerat, admiratusq; benevolentiam adolescentis, eundem non solùm sibi amicum, sed & generum
2. fieri postulavit. Cæterum cùm Rex David fu-
2.Reg.17 27. geret â facie Absalon, cùm officiosissimâ devotione suscipiens eum Barsillai Gileadites, ipsius etiam muneribus excitavit affectum, qui ejusdem animo adeo perseveranter inhæsit, ut Rex, in-
3. ter præcepta testamenti, â filio suo Salomone tan-
Reg.2.7. tæ munificentiæ recompensationem statim de hac vitâ migraturus indiceret.

Cap. 41. De Naturali motu.

1. Est etiam naturalis affectus viri ad conjugem, ma-
Ephes.5. 29. tris ad filium, hominis ad domesticum sanguinis sui. *Nemo* enim *carnem suã odio habuit*: & *non potest*
Es.49.15 1. Tim. 5.8. *mater oblivisci infantis sui, ut non misereatur filio uteri sui, Et si quis suorum, maximè domesticorum curam*
2. *non habet, fidem negavit, & infideli deterior.* Hoc affectu ducti patres antiqui, narrantur astrinxisse suos posteros sacramentis, ut non in alienis, sed in patrum sepulcris, eorum corpora sepelirent, ut, quorum animæ fuerant glutino caritatis unitæ, corpora etiam unirentur beneficio sepulturæ.
3. Matris affectum censuit sapiens Salomon in dua-

rum

rum meretricum disceptatione gladio exploran- 3. Reg.
dum; cumq; delato ense, divisione pueri regis 3. 16.
prudentia decrevisset, matrem affectus prodidit
naturalis. Sic cessit affectui, quæ probitati non
cesserat; & quæ laboraverat ne proprio pignore
frustraretur, supplicat, ut potius inimicæ trada-
tur: *obsecro*, inquit, *date huic infantem vivum*,
& non occidatur: & è diverso, quæ maternæ pi-
etatis expers seipsam obfirmaverat in jacturam al-
terius: *Nec mihi*, inquit, *nec tibi sit, sed divida-
tur*. Porrò tertius affectus in pectore S. Joseph, 4.
præponderavit injuriæ: qui cùm fratribus dispen- Gen. 43
satoriâ severitate crimen explorationis inureret, 30.
videns eos serâ satis pœnitentia de fratris proditi-
one torqueri, sentiens affectum, averrit se parum-
per ab iis & prorumpit in fletum. Hunc affectum 5.
â piis visceribus David, nec filii persecutoris 2. Reg.
abrasit immanitas. A quo cùm ipse quæreretur 18. 5.
ad mortem, injuriæ oblitus est: memor naturæ, mi-
sit qui ejus obviarent insaniæ: se patrem in omni-
bus exhibens, persecutionem filii homicidæ dis-
simulans: *Servate*, inquit, *mihi puerum Absalon*.
Hunc Salvator in se mirabili compassione trans- 6.
fudit affectum; dum videns civitatem, quæ ipsi- Luc. 19.
us metropolis erat, ex quâ illi patres secundùm 41.
carnem, naturali pietate commotus futurum
ejus deploravit excidium. Reor etiam, quòd Rom. 9.
Paulus, naturali compunctus affectu, *optabat* quan- 3.
doq; *anathema esse â Christo pro fratribus suis secun-
dùm carnem*.

Cap. 42.

Cap. 42. De naturali affectu mixto.

1. Affectui naturali plurimum affinis est carnalis affectus, qui bifariam dividitur. Frequenter enim alicujus hominis non virtus pensatur aut vitium, sed quædam exterioris hominis habitudo, vel motus, ad diligendum aliquem intuentis animum impellit, v. c. si forma elegantior, si sermo urbanior fuerit, si competentior habitus, 2. si maturus incessus. Hæc in Mose adhuc puero *Ex 2. 11.* adeo gratia relucebat, ut contra tyranni Pharao- *Heb. 11.* nis imperium, quo infantulus Hebræorum occisi- 23. oni decreverat, tribus mensibus à suis parentibus servaretur; sicut Apostolus ait, *eò quòd vidissent elegantem infantem.* Oppositus deniq; periculo mortis, elegantia formæ illius pietatem filiæ Pharaonis illexit: qui adoptatus in filium magnus ef- 3. fectus est coram omnibus servis Pharaonis. Est autem alius Carnalis affectus, qui animam homi- *2. Reg.* nis ad desiderium noxiæ voluptatis emollit. Hic *11. 2.* David ambulantem in solario domus suæ ad speciem Bethsabee pervertit, nec tantùm pervertit, sed etiam dissolvit, & irruit in dissolutum, & qui in alienæ uxoris damnabilem exarsit amplexum, quodam tertio motu in proprii militis crudelem armavit interitum. 4. Hic affectus Sapientiam Salomonis absorbuit, carnaliq; libidine dissolutum, in Spiritualis fornicationis barathrum, detestabiles idolorum culturas, dejecit.

Cap. 43. Quod affectus sine consensu non multum prosit vel obsit.

In omnibus istis affectibus circumspectâ moderatione utendum est. Cùm enim sunt quædam origines vel radices amoris, eis excitari nec multum utile, si boni; nec execrabile, si mali sunt, existimamus. Non est enim affectus amor, sed amoris origo. Nam spirituali, quem primo loco posuimus, pleriq; in sui perniciem sæpius abutuntur: Et per hunc ultimum carnalem, quamvis cæteris suspectior habeatur, justissimi homines ad probitatis meritum titillantur. Quocirca non iis affectibus moveri, sed secundùm eos moveri, utile vel noxium judicamus. Quando enim his affectus movent animum, aut visitatio, aut tentatio, si citra consensum animi, isti in suâ firmitate subsistunt. Porrò si secundùm hos affectus moveatur animus, jam ibi plena est ipsius consensio voluntatis. Consensio aut occulta est, & versatur interius; aut manifesta, & usq; ad actum exterius exercetur. Utrùm autem secundùm prædictos affectus, mens humana moveri debeat ad amandum, qualiter & quanta moderatione, sequentia plenius declarabunt. Verùm quia duo quasi amoris incentiva & curricula diligendi posuimus, affectum scil. & rationem, expedit ut causâ majoris evidentiæ, de motu rationis aliquid memoremus. Mentem etenim, quam ad Dei Proximiq; dilectionem nullus affectus excitat, plerumq; ratio movet, & tantò sanctius, tantò securius,

1.

2.

†

3.

tanto securius, tanto defæcatius, quanto nihil est rationali amore præstantius.

Cap. 44. Quod rationalis tripliciter excitatur.

1. Ratio siquidem, ut ad sui desiderium Conditoris excitet animam torpescentem, trib⁹ innititur argumentis: Necessitati nostræ, utilitati nostræ, nostræ etiam dignitati. Suadet enim ratio esse diligendum, quia hoc nobis est necessarium, quia commodum, quia dignum: Necessarium, ne damnemur; commodum, ut salvemur; Dignum, quia ipse prius dilexit nos. Et recompensatio
Marc. hujus dilectionis â nobis exigitur, cum *Deus sit*
10. 21. *summum bonum, sine quo nihil bonum.* Necesse est
2. ut desideretur, qui bonorum nostrorum non eget, & cujus beneficiis quotidie indigemus. Si ergo ratio ad Dei dilectionem animum movere incepe-rit, prosequitur negotium suum, sciens non posse obtinere, nisi præceptis ejus ad probationem veræ dilectionis obœdiat, quia non pensat ratio, quantum naturæ nostræ consortem non solùm propria deliberatione, sed ex præceptione divina diligere teneatur: inclinans propositum suum ut proximo consulat, beneficiumq; quod sibi vellet impendi, exhibens, in eo sui Creatoris imaginem recognoscat. Cùm autem omnis prout amicus nobis sit, aut non inimicus officiendo, vides
3. † quòd amicus est ex sanguine, vel ex gratia, non inimicus, innocentiâ, inimicus, ex injuria: Ut ergò se amico impendat, tua proponit ratio, ut

non

non inimico ſubveniat, dico ut inimico, beneficio ex naturâ, ex officio, ex præcepto. Ex naturâ, quia homo vel forte domeſticus eſt: Ex officio, quia benefic⁹, ut amicus: Ex præcepto, quia proximus licet ſit inimicus. Amplectitur ratio præceptum quod diligit, & licet in hac dilectione non habeat affectum Caritatis, tamen meritum non amittit.

Cap. 45. Quod magnâ cautelâ utendum eſt, ut ſinguli pro ſuis meritis diligantur.

Porrò cùm Caritatis ordo, & regula diligendi hoc exigat, ut non diligat homo, quod diligendum non eſt, diligatq; quod diligendum, nec æquè aut ſimiliter diligat, quæ inæqualiter aut diſſimiliter diligenda ſunt; & ſubtiliter & cautè cenſeo diſtinguendum inter duos amores, qui ex affectu & ratione procedunt. Proponantur enim homines duo, quorum unus ſit tranquillus, ſuavis, hilaris, ſapiens & urbanus, qui ſuæ moralitatis favore omnes ſibi conciliet amore. Sit alter honeſtate maturior, provectior ſapientiâ, dotibus etiam omnium virtutum perfectior, ſed auſterior vultu, fronte triſtior, ſermone ſævior: ut illum diligat, movet intuentis affectus; ut hunc diligat, urget ratio & Caritatis intuitus. Sentiens itaq; homo, animam ſuam ad adſpectum illius quâdam amoris ſuavitate perfundi; ad iſtius verò intuitum circa proprium indurari, perplexus eſt & veretur ne ipſum oporteat fines excedere Caritatis. Cæterùm cùm aliquem diligere inceperim, quia eum credebam ſanctâ & ſuavi moralitate conſpicu-

1.

2.

3.

4.

5.

ſpicuum, ſi eum in aliquo vitioſum invenero, quædam pœnitudo inciperet abſorbere inchoatæ dilectionis affectum, & ex vitio fit mihi horrificus, quem virtutis opinio fecerat gratioſum.

Cap. 46. Similitudines inter effectus amoris, & appetitum cibi vel deſiderium verbi.

1. † Ponamus E. duplicem eſſe animæ cibum, virtutem ſc. & vitium: Sic alter cibus utilis, alter noxius. Exterior autem hominis, auſteritas & benignitas quaſi duo vaſa, alterum ruſticanum, alterum verò urbanum, in quibus duo miniſtrentur cibaria, cenſeantur. Cibus equidem utilis in vaſis plerumq; deformibus ſcienter ſumitur: noxius autem nec in pretioſis admittitur. Et evenit etiam, ut cibus vilior, ob vaſis decorem quandoq; jucundius admittatur: pretioſiſſimus autem ob horrorem vaſis vel non acceptetur vel
2. cum rancore ſumatur. Sic in homine auſtero & gravi, placet quandoq; durior habitudo, quæ ex ejus virtute procedit; in alio, qui moribus compoſitus, diſplicet ex vitio ejus urbana jucunditas;
† quamvis prius fuerit dilectionis actio. Ponite rùm, quod veritas, virtus; fallacitas, vitium exiſtimetur; nimia verò morum ſeveritas, quaſi ſermo incompoſitus & ruſticanus, exterior an hominis benevolentia quædam condita ſit, quaſi ſermo eloquentior & efficacior ad monendum. Vides ſicut in ſuaviloquio non eſt fallacitas admittenda, ſic in duro ruſticoq; ſermone non veritas

aſper-

aſpernanda. Expreſſa ſimilitudinis forma, nec in homine blando, exterius accepto, placet, niſi in homine duro virtus convertatur in tœdium. Quod ſi uterq; vera & ſalubria perſuadere noſcatur, illius omnino in crudo & indigeſto ſermone gratanter admittantur: & in alterius adſertione, providæ & ornatæ ſententiæ ſalubri cum ſuavitate recipiantur. Poteſt utiq; tam diffuſa, divulſa eſſe atq; inepta oratio, ut licet utilitatem in ſe plurimam habeat, tædio tamen auditorem afficiat. Deniq; ſicut in juvenili ætate ſolet eloquentia eſſe innatior, hilarior, expeditior; ita & in ſenectute gravior, circumſpectior. Nec hilaritas ejus in diſſolutionis vitium tranſit, nec iſtius matura gravitas vitium nimiæ auſteritatis incurrit. Amatur E. quis ex ſolo affectu naturali, quando diligendum externâ habitudine arbitramur. Ubi verò ſola virtus in cauſſâ diligendi, ex ſolâ ratione diligimus, quòd ſi ratio & affectus in voluntate conveniant, hic tuus amor erit præteritis quâdam prærogativâ præcipuus. Primus affectus dulcis eſt, ſed periculoſus. Secundus durus, ſed fructuoſus: tertius ex affectu & ratione ſecurus. Ad primum ſenſus ex parte dulcedinis mentem allicit: Ad ſecundum ratio manifeſta compellit: In tertio ratio ipſa ex affectione dulceſcit. 3. 4. 5.

Cap. 47. Quod ex electione diſcernuntur affectus.

Ex præcedentium ſerie colligere potes, quod ſi in his, quæ elegimus ad fruendum, perverſa fuerit

fuerit electio, sequitur ut talis amor, non Caritatis nomine, sed cupiditatis meritò censeatur. Potest præterea Electio ipsa sana esse, motus tamen interior, perversus: Poterit deniq; & Electio & motus, qui in desiderio est, ex ratione procedere: motus vero qui in actu est, poterit & electionem & interiorem motum suâ corruptione
2. pervertere. Pone enim, quod aliquis Deum eligat adfruendum, & in fructu aliquid carnale constituat (sic fingunt fabulæ Judæorum, quòd in vitâ futura epulis & carnis voluptatibus affluent: & quòd carnes Behemoth in illâ materiâ deliciarum nunquam deficient) electio quidem commendabilis erat, sed bonitatem illius exspectatio desiderii pernicioſa contaminat. Sicut autem hic interior motus desiderii electionem reprobabilem facit; ita quandoq; & actus exterior: ut si ad fructum vitæ sacrificiis Gentilium, aut Judæorum ceremoniis vel superstitione, aut ventre contendit. Porrò si sit electio sana, desiderium competens, actus commendabilis; sequetur hic amor rectè diligendi regulam: nec exorbitabit â limine Charitatis: Erit itaq; affectuosa, discreta & fortis ista dilectio, si dulciter ac perseveranter rei dilectæ ad hæreat. Dulcedine suâ mutat quicquid dulce & concupiscibile est in hac vitâ Contra versutias Sathanæ & tentationes occultas consilium discretionis opponat, fortitudine verò contra persecutiones insurgat.

Cap. 48.

Cap. 48, Sicut in Dilectione Dei, sic in dilectione proximi, electio habet locum.

Circa proximi verò dilectionem eadem ferè notanda sunt. Nam si electionem illius amoris aliquod desiderium turpe, vel actus reprehensibilis subsequitur, restat ut ipsius electionis integritas violetur: istudq; considerandum est, quòd Deum diligendo, nobis consulimus, & non Deo. *Deus* enim *bonorum nostrorum non eget.* In dilectione verò proximi, quia operâ mutuâ indigemus, expedit, ut in his, quæ ad utilitatem corporis & ad salutem animæ spectant, nobis invicem consulamus. Quantò enim circa hæc erit quisq; fervention, tantò in Caritate perfectior. Hunc etiam amorem nunc affectus, nunc ratio movet: quocirca diligenti consideratione notandum est, quis affectus, & in quantum, ab homine sit sequendus. Sanè Spiritualis affectus, qui ex diabolicâ suggestione procedit, irrationalis etiam & carnalis, quos vitiosos esse nullus ambigit, non solùm non sequendi sunt, sed à cordibus nostris radicitus eruendi. Proinde spiritualis affectus, qui ex Deo est, modis omnibus excitandus est, & salubriter promovendus. 1. Ps. 15, 2. 2.

Cap. 49. Actus noster non est ordinandus secundùm affectum spiritualem.

Porrò si affectu nostrum expedit desiderium ferventius excitari, excitandus est etiam eodem affectu noster actus; sed secundùm hunc ordinari non debet. Voluntas enim bene operandi quan- 1.

to

to ferventior, tanto fructuosior semper erit, si operationem nostram hic affectus ordinat. Erit inordinata operatio, quia metas corporeæ possi-
2. bilitatis excedit. Cum enim corpus hoc luteæ sit qualitatis ex suâ fragilitate passionibus diversis obnoxium, inde ferventes affectus fere non sustinet, ideoq; nisi actus exterior aliquo moderamine temperetur, infecto negotio, quod adsumsit, de-
3. ficiet & succumbet. Nimirum affectus modum nescit, vires corporis non metitur, quodam impetu cæco irruens in dilectum solùm id meritur quod apparet, quod grave, quod arduum, quod molestum, quod impossibile, quod deniq; peremtorium vitæ præsentis, dulcissimâ illectus delecta-
4. tione, non sentit. Proindè quidam in hoc affectu omnem modestiam ignorantes, suiq; impetum desiderii sequentes præcipitantur, & inopportuna sequentes, debiliores sunt quàm sanctiores; dum ipsa voluntas, actu immoderatiore oppressa, tepescit: Et qui per suarum dispensationem virium animum suum conquadrare debuerat, convertitur in die belli: & ubi victoria ex virtute pendebat, sibi ex suâ temeritate succumbit.

Cap. 50. Quod secundùm rationalem affectum, noster actus, quandoq; dirigendus est, sed non semper.

1. Rationalis affectus, qui ex alienæ virtutis contemplatione oboritur, cæteris perfectior est, quibus ad dilectionem proximi excitamur. Nec enim

enim modicum virtutis, & ad maximum cedit meritum, æmulatio charismatum meliorum. Quod si desiderium nostrum, & motus interior, secundùm hunc dirigatur, non arbitror arguendum; imò commendabile reputatur, si quis præsentiam ejus desiderat, cujus instruitur verbo, cujus gestu & habitu eruditur, cujus informatur exemplo; sed in actum, quæso, non transeat ille motus, ut quis corporaliter propter hoc longâ iteratione vexetur. Quos itaq; corporaliter adire non possumus, videamus oculo cordis, & sanctarum affectionum brachiis etiam amplectamur. Quantò enim dignius cœlum terrâ paluſtri, tantò spiritualis visus est elegantior carnali. In jure siquidem tituli, possessio animi, possessione naturali i. e. incubatione corporali præstantior est: nec enim ita facilè amittitur, & per ipsam rei dominium usucapiendo acquiritur. Christus deniq; spiritualem fidei tactum â Mariâ exigit, dum eam â tactu prohibet corporali. De hoc tactu: *Beati qui non viderunt, & crediderunt*; Ac si dicas: Glorioſius est Christum videre per fidem, quàm vidisse in carne mortalem. Illorum verò præsentia præcipue desideranda, quam exspectamus in cohabitatione cœlesti. Si autem sanctorum æternam desideramus præsentiam, expedit ut *justè, sanctè & piè in hoc seculo conversemur*. Et ista quidem sanctorum præsentia corporalis desideratur utiliter & quæritur. Ideoq; hunc actum non affectus, sed ratio moderatur.

2.

3. Joh. 20, 17.

Joh. 20, 29.

4.

Gratissima erat fratribus Antiochenis Pauli & Barnabæ præsentia corporalis, quorum doctrinâ, quorum collatione & disputatione firmabantur in fide; audientes tamen â Spiritu S. *Segregate Barnabam & Paulum in ministerium, quo vocavi eos*; quanquam repugnaret affectus, prævaluit ratio: & imponentes eis manus, dimiserunt eos.

Act. 13, 2.

Cap. 51 Quod officialis affectus licet periculosus, tamen commendabilis est interdum.

1. Sequitur officialis affectus: qui licet admittendus sit, tamen periculosè admittitur: dignum siquidem est, & rationi consonum, ut vicem rependamus amanti obsequenti, munera largienti. Illud tamen summè cavendum est, ut illectus obsequio, vel muneribus delinitus, aut vitia foveat, aut faciat vitiosos. Nec mihi de illis sermo est, qui diligunt munera secundùm retributiones: qui justitiam venalem habentes, non hominibus, sed muneribus favent; de his loquimur quidem, qui prius amaverunt hominem, quàm munera ejus; nec hominem propter munera, sed munera propter hominem dilexerunt. At hic tamen suspicioni locus est, ne sit motus ejus consentaneus, dum ejus obsequiis timet esse ingratus.

2. Quocirca diligenti consideratione perspiciendus est status illius, qui diligitur: ne si tanti meriti non sit, qui dilectionis affectu sit dignus, transeat officialis affectus in rationalem, & quem ob exhibita diligebamus rationabiliter hominem austerum & gravem, dulciter diligere suscipimus, si se nobis

nobis exhibuerit munificum & benignum: qui prius placebat, sed non sapiebat, sed non in desiderium nostrum suam affectionem refundebat.

Cap. 52. *Quis modus esse debeat in naturali affectu.*

Quis autem modus in naturali affectu servandus sit, de cætero dicendum est. Sicut hunc affectum non amittere impossibile est: sic eum non sequi, summæ virtutis est. Domestica siquidem erga parentes affectio refrænatur, dum electus discipulus â parentis sepulturâ retractus accipit â Domino: *Dimitte mortuos sepelire mortuos suos; tu autem vade & annuncia regnum Dei.* Naturalis affectus quædam portio est amoris sui, equidem *nemo seipsum odio habuit*: & tamen: *Qui venit ad me*, ait Veritas, *& non odit animam suam, non potest meus esse discipulus.* Et item: *Qui venit ad me, & non odit patrem & matrem, non potest meus esse discipulus.* Sed cum Apostolus contrarium dicere videatur, ut scil. *censeatur infidelis fideiq; transgressor, qui suorum, & maximè domesticorum, curam non habet*: quid in tantâ contrarietate dicemus? Sed inter istos amores distinguitur, ut licet homo erga se & suos naturali moveatur affectu; hunc tamen motum ratio moderat. Quod enim affectus ex carne sit, perhibet Apostolus, dicens: *Nemo unquam carnem suam odio habuit.* Hunc autem affectum circa parentes & circa vitam propriam, in quibus solet esse pronior, Dominus interdicit:

1.

Matth. 8, 21. *Eph.* 5, 29. *Luc.* 14, 26. *Matth.* 10, 37.

2.

1. *Tim.* 5, 8.

3.

Eph. 5, 29. *Luc.* 14 26.

Qui non odit (inquit) *patrem & matrem, adhuc autem, & animam suam, non potest meus esse discipulus.* Amoris autem motus secundùm rationem
4. 2. *Tim.* 5, 8. Apostolicâ autoritate inducitur: *Qui suorum, & maximè domesticorum curam non habet, est infideli deterior.* Nam amor iste rationem sequitur
5. potius, quàm affectum: ut domestico notitia pensetur, aut utilitas seu æstimatio meritorum. Quod autem affectus erga se, & erga parentes motum illiciti amoris insinuet, ex verbis Apostoli col-
2. *Tim.* 3, 1. ligere potes, quia ad Timotheum scribens: *Scito*, inquit, *quia in novissimis diebus instabunt tempora periculosa, & erunt homines se ipsos amantes, cupidi, elati, voluptatum amatores magis quàm Dei.*
6. Hic enim affectus mollia suggerit & svavia; quod delicatum, quod jucundum apprehendit: quod verò aridum, quod asperũ, quod utile, quod honestũ refugit & abhorret. Utrumq; amoris motum secundùm affectum & secundùm rationem Salva-
Joh. 12, 26. tor brevi sermone distinguit: *Qui amat* (inquit) *animam suam, perdet eam; & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*
7. Hic amor affectionis est; hoc odium, rationis: propterea dicit Sanctus quidam: *Si malè amaveris, tunc odisti: Si bene oderis, tunc amasti.* Qui enim amat secundùm affectum, utiq; odit; quia
1. *Joh.* 2, 16. *qui diligit iniquitatem, odit animam suam:* qui non
8. odit secundùm affectum, secundùm rationem diligit. Ideo verò additur *in hoc mundo*, ut major affectus expressio fiat. *Quicquid* enim *in hoc mundo*

mundo est, testimonio D. Joannis, *concupiscentia carnis est aut concupiscentia oculorum, aut superbia vitæ*. Qui E. secundùm affectum amat animam suam, eam in hoc mundo utiq; amat, quia in concupiscentiâ carnis, vel in concupiscentiâ oculorum, vel in superbiâ vitæ. Quæ omnia ex affectu procedunt.

Cap. 53. De diversis causis affectuum.

Et notandum est, quod alius est amor in Deo, alius propter Deum. Amatur quis propter se: nam virtutes ejus homines excitant ad amandum. Ille nec in Deo, nec propter Deum diligitur. Si tamen amor iste divinam bonitatem ex gratiarum actione respiciat, jam causa amoris hujus non est affectus, sed ratio Et licet non diligatur specialiter propter Deum, salubriter tamen exercetur in Deo. 1.

Inimicus autem, quem ratio & divini præcepti autoritas suggerit diligendum, non meretur diligi propter se, sed diligitur propter Deum. Sic alios in Deo, ut amicos: alios propter Deum, ut inimicos, diligere certâ ratione tenemur. Expedit ergò, ut hic naturalis affectus in omnibus, & propter omnia rationis moderatione ducatur, ut sit prius mollis dulcisq; : Sic ex eo aliquantulum indurescat beneficio rationis. Patriarcha Joseph 2.

prius erga fratres naturalem lacrymis protestatus affectum, ut â proditionis crimine purgaren- *Gen* 43, 30.

tur, eis notam exprobrationis imposuit. Salvator civitatem Jerusalem prius compassione intimâ *Luc.* 19, deploravit, & post impendium naturalis affectus, 41.

calamitates, quas pro ſuis iniquitatibus meruerat
4. ſuſtinere, prædixit. Proximos itaq; ſalubriter affectu naturali complectimur, ſi honeſti ſunt. Si verò laborare aliquo vitio cognoſcantur, inſtemus correctioni: ut ſicut diſtinximus in officiali affectu, diſcernatur ſubtiliter, ne in aliquo conſenſu alieni vitii maculemur.

Cap. 54. Quod affectus unus plerumq; terminatur aut mutatur in alterum.

Evenit autem plerumq; quod unus affectus ter-
1. minetur aut mutetur in alterum, & qui à virtute cepit originem, habet frequenter exitum vitioſum. Erat virgo in partibus noſtris, nominatiſſi-
2. ma in abſtinentiis, in orationum inſtantiâ, in lacrymis, vigiliis, diſciplinis. Cœpit eam vir ſanctus diligere, virtutis obtentu, & tantæ opinionis intuitu cœpit eam viſitare nunciis, venerari muneribus, re-
3. creare colloquiis. Sic amor, cui etiã præſtabat honeſtas, cœpit ex mutuâ libertate vigere, ſubitoq; in officialem affectum tranſiit, qui ex ſola prodierat communione: deniq; hic affectus, dum ſe familiarius ad quædam blandimenta prolexit, cœpitq; ex naturali & officiali affectu carnalis ille, qui cæ-
4. teris pernicioſior eſt, latenter obrepere. Audivimus quosdam ſummæ perfectionis & probatiſſimæ opinionis, qui dum adoleſcentes pudicos & omni virtute conſpicuos, in ulteriorem familiaritatem, virtutis amore & rationis intuitu, admiſiſſent, officioſâ ſedulitate circa eos exhibita, cœpit rationalis affectus degenerare in alium: prius

in of-

in officialem, postea in carnalem depravatum affectum: & qui prius secundùm rationis arbitrium, modum dilectionis ordinaverat, caput in oculis suis semper in hujus adspectu, licet carnali vel transitorio, motu illicito titillabat. Consultius ergo est, inspectâ ætate vel sexu, sinus propriæ mentis providâ circumspectione claudatur, ne ad verba familiaritatis & inania blandimenta, permittantur diffluere, nam in quantumlibet perfectis & sanctis unus affectus in alium, & subito insensibiliter, atq; tam perniciose, quàm prodigiosè, mutatur. 5.

Cap. 55. Quod affectus sæpe sibi contrarii sint, & invicem se impugnent.

Illud etiam considerare oportet, quod ipsi affectus frequenter inter se alterantur, & invicem se oppugnant. Alter alterum à corde hominis eliminare nititur, ut homo in varia vota divisus, & perplexus inter ambigua fluctuet in se, ignorans de duobus contrariis, quid potius eligatur. Summa igitur cautela utendum est, ne ab inferiore affectu, superior vel excellentior expellatur. Abraham jussus à Domino filium immolare, contra naturalem affectum nequaquam obduruit, sed cum naturalis ei misericordiam in filium, spiritualis eum ad obœdientiam excitaret in Deum, duo illi affectus in sancti viri pectore compugnabant. Ipse tamen mandatum filio prætulit: & affectum naturalem spirituali posthabuit. Optimus adolescens Jonathas, cujus animam David animæ rationali affectu, glutino caritatis unierat, non prodidit 1. 2. Gen. 22, 2. 3. 1. Reg 23, 16

in injuriam patris consilium, quo David mortiad dixerat, sed rationalem affectum naturali discretè præposuit. Nec mirandum, si amici gratiam paternæ crudelitati præposuit, qui propriam, sicut publicè putabatur, injuriam pro amico, immutabili virtute contemsit. Ipsi etiam David, cum de ejus filio parricidâ, populus victoriam reportasset, prius, professor naturalis affectus, filii lugebat interitum: sed correptus à milite, officialem naturali præposuit; depositoq; luctu, victori populo, qui pacem fecerat in Israel, gratulabundus occurrit. Salvator etiam affectus naturalis intuitu, quo *nemo unquam carnem suam odio habuit*, cùm clamasset ad Patrem, *ut calix mortis transiret ab eo, si fieri posset*; eundem spirituali, per quem patri erat obœdiens, pro suâ gratiâ & pro nostrâ salute, submisit dicens: *Verum tamen non sicut ego volo, sed sicut tu.* Proinde regula hæc generaliter in his affectibus observetur: ut ille, quo mens humana excitatur in Deum, cæteris omnibus præponatur; deinde rationalis officiali, officialis naturali, naturalis carnali.

4. 1. Reg. 19, 13. 5. Eph. 5, 29. Matth. 26, 39. Marc. 14, 36. 6. Luc. 21, 41.

Cap. 56. Quod delectabilis & necessarius sit fructus in exercitio istorum affectuum ordinato.

1. Ut E. in affectibus istis providâ circumspectione se anima rationalis exerceat, sentiat de Domino in bonitate & in simplicitate cordis sui, seq; *cellam vinariam*, ignisq; Divini receptaculum tantâ vigilantiâ studeat exhibere, ut in die bonorum Domi-

Cant. 2, 4.

ni,

ni, *& in hora beneplaciti ejus*, cum audierit vocem Pſ. 68,
ſpiritus, & velut ſibilum auræ Divinæ, ſummam 14.
afferat affectionem, puram fidelemq; intelligentiam: ut ſpirituales fructus, quaſi de ligno vitæ colligere mereatur. *Sunt autem fructus Spiritus*, teſte
Apoſtolo, *Caritas*, *Pax*, *Gaudium*, *Patientia*, *Benignitas*, *Bonitas*, *Longanimitas*, *Manſuetudo*, *Fides*, Gal. 5, 22.
Modeſtia, *Continentia*, *Caſtitas*. O felix anima, ſi benevolentiam ejus, & inſpirationem gratiæ Cœleſtis ſuam circa te prælentiam tibi certis liqueat indiciis experiri: tanget enim te in ipſius recordationem ſuavitas, afficieris novâ & inexpertâ dulcedine, ut quaſi abſtracta, & â te prorſus aliena exultes quâdam amænitate Cœleſti: facit ſtatim ſuæ præſentiæ fidem, quod omnes tui ſenſus hilareſcunt: Serenatur intelligentia tua, deſideria vitalia incaleſcunt; geſtis & adſpiras in amplexus illius, quem tenere te ſentis, & vereris ne elabatur, & ideo, quantum vis, ipſum quodam delectabili nexu intimæ caritatis adſtringis. *Iſte* eſt, ô anima, 3.
dilectus tuus, inviſibiliter, miſericorditer & dignanter accedens, ut excitet te, ut ſe tibi inſpiret *in ſinu tui amoris*, tibi ſe inſinuet, & tuum accendat deſiderium, ut illuminet interiores oculos, ut inflammet affectum. Sic primitias, non plenitudinem ſuæ dulcedinis, non ad ſatietatem, ſed ad deguſtationem tibi exhibet, ut tali experientiâ probes, quàm dulcem, quàm ſvavem, quàm jucundum, Pſal.
delectabilem, ſe tibi præbebit, *cùm apparuerit gloria ejus*; cum eum videris *revelata facie*, & orna- 16, 15. 2. Cor.

Rom. 14, 8. tum diademate Patris sui, quem nunc adoras, & amas in diademate suæ matris. Hoc, est ebrietas, sobria tamen, unde Apostolus: *Sive vivimus, sive* 4. *morimur, Deo sobrii sumus.* Hoc, sobria ebrietas, Cant. 5, 1. imo caritas efficitur, sicut sponsus in cantico amoris insinuat, dicens: *Comedite amici, & bibite,* Gen. 3, 10. *& inebriamini.* In vita præsenti *panem lacrymarum in sudore vultus sui comedit.* Anima militans 5. Deo, post exitum hujus vitæ non pascetur pane Psal. 22, 5. doloris, quia jam non erit dolor; neq; luctus, quoniam priora transierunt: sed amatorio poculo reficietur & inebriabitur juxta illud: *En calix meus* 6. *inebrians quàm præclarus est!* De hoc calice credo Jeremiã dixisse: *Ad te quoq; filia Edom veniet calix,* Thren. 4, 21. *& inebriaberis: Inebriabitur ergo ab ubertate do-* † *mus Dei bibens vinum merum, & novum in regno Patris Christi.* Intimavit, bibit vinum suum cum Cant. 2, 4. lacrymis in mensurà, donec Rex *introducat eam in cellam vinariam,* vel ipsam sibi cellam efficiat, *& in me ordinet caritatem.* Illa siquidem nunc diligens, sed nondum percipiens, & in solis affectibus se exercens, nunc dicit: *Vulnerata caritate ego* Cant. 4, 9. *sum*; & ad Angelos atq; animas sanctorum loquitur Cant. 5, 8. dicens: *Adjuro vos filiæ Jerusalem, si inveneritis dilectum meum, dicite illi, quia amore langueo.*

Cap. 57. *Quod caritas, dum est in desiderio, languor est.*

1. Mirum tamen est, quomodo Amor s. Caritas 1. Pet. 4, 8. sit languor sponsæ vel animæ, cùm *caritas operiat multitudinem peccatorum:* & cùm Maria Magdalena,

lena, quia multùm dilexit, ab infestatione 7. dæ- *Marc.*
monum, & 7. criminum, languore sanata sit. Por- 16,9.
rò amor languor est, dum amans ex desiderii di-
latione torquetur, dum sponsi suspirat amplexus.
Sed qui sanat omnes languores & infirmitates tu- 2.
as, anima mea, tuum languorem amoris fruitione
curabit, quando se tibi ad videndum & fruendum, 2. *Cor.*
facie revelatâ, præstabit. Nunquam de cætero sepa- 3, 8.
raberis ab osculo vel amplexu illius. *Gaudebit* *Es.* 62,
equidem *Sponsus super Sponsam, & gaudebit super te* 5.
Deus tuus. Tum languoris angustiam fructus amo- 3.
ris excludet; quia *Caritas nunquam excidit.* Amor 1. *Cor.*
igitur, nunc languor, dum cruciatur desiderio vi- 13,8.
dendi, erit sanitas, quando jucundabitur usu desi-
derii. Videndi enim desideriũ tantùm differt ab usu
desiderii, quantùm fames à satietate, quantùm ap-
petitus â plenitudine uteri. Interim E graviter infir-
matur, & languore conficitur: Dominus opem 4.
ferat illi super lectum doloris ejus. Vox autem *Cant.*
languentis & plangentis: *Stipate me malis, fulcite* 2,4.
me floribus, quia amore langueo; initia siquidem vir-
tutum flores sunt atq; fructus honoris & honesta-
tis: Mala maturiora, patientiæ sunt exercitia &
exempla. Stipatur itaq; malis anima, dum tem- 5.
poris præterita percipit, convertens in utilitatem
propriam Christi flagella, opprobria & dolores, &
cætera quæ passus est usq; ad ignominiam crucis, &
hæc omnia transierunt. *Christus enim jam non mori-* 6.
tur: fructum tamen quotidianum de ipsius passio- *Rom.6,*
ne colligimus: Fulcitur autem sponsa floribus, quos 3.
naturæ humanæ innovatio de Christi resurrecti-

one

7. one produxit. *Hiems enim transiit, imber abiit &*
Cant. *recessit flores apparuerunt in terrâ nostra.* Ille nimi-
2,4. rum, qui dicit: *Ego flos campi & lilium convallium*;
Cant. terram carnis nostræ, quæ sub maledicto veteri
2,1. *spinas & tribulos germinabat*, resurgens à mortuis,
Gen. 3. 18. resloresecere fecit, & in novæ generationis infan-
8. tiam nos reduxit. His malis, & his floribus sti-
panda & fulcienda est, ut eam, quam habet
ad Deum, non torpescat affectio; donec re-
Cant. ceptam in amplexibus sponsi, dicat: *Læva ejus sub ca-*
2,6. *pite meo, & dextra illius amplexabitur me.* Quic-
quid enim de improperio Sponsi ad meritum de
illius sinistra nunc recipit, comparatione gloriæ,
quæ in amplexu dextræ susceptura est, modicum
Prob. 3, reputabit. Scriptum autem: *in sinistra ejus divitiæ*
16. *& gloria, & in dextra ejus longitudinitas vitæ.*

Cap. 58. *De dimensionibus Caritatis, & communione secretorum.*

1. Sane sicut nunc Deus imperfectè & ex parte
2. Cor cognoscitur, sic etiam imperfectè diligitur. cogni-
3,14. tio enim, quam de Deo in præsenti habemus, si
Ps. 101,17. comparetur ad notitiâ patriæ, quando *revelata fa-*
2. Cor. *cie videbimus Deum, quando videbitur in gloriâ suâ,*
3, 18. *quando ostendet faciem suam*, & salvi erimus: est si-
Ps. 79,4. cut ingressus matutinæ lucis per tenuissimâ rimâ,
Apoc. 1, si ad meridianum splendorem conferatur. Quantò
16. *sol lucet in virtute suâ*, sic dilectio Dei, quæ in hac
peregrinatione habetur, quasi scintilla ignis exi-
gua est ad magnum illius amoris ignem, quo justi
cum Seraphim in supernâ Jerusalem ardebunt.

Cum

Cum autem in amore Dei erga nos, sicut testatur Apostolus, *sit longitudo, sublimitas & profundum,* caritati divinæ humana dilectio pro suæ insufficientiæ modulo se coaptat. Deus equidem non superficialiter dilexit nos, non simulatorie, non mediocriter; sed plane, sed sincere, sed medullitus. Utinam & nos comprehendere possimus cum omnibus sanctis, quæ sit tantæ Caritatis altitudo, longitudo, latitudo, profundum. Altitudo est excellentia gratiæ, quam *præparavit Deus diligentibus se; quam nec oculus vidit, nec auris audivit.* Profunditas ejus est, inclinatio divinæ majestatis à Patris coæqualitate, *& exinanitio filii usq; ad formam servi, & plus quam servi: quia usq; ad mortem & ignominiam crucifixi.* Longitudo ejus est sine initio, sine fine; dilectio enim ejus nec desinit, *quæ ante mundi constitutionem elegit nos in dilecto filio suo.* & sicut scriptum est: *Misericordia ejus ab æterno & usq; in æternum super timentes eum.* Latitudo ejus ampla, extensa & diffusa est in omnem benevolentiæ modum. Ipse enim *vult omnes homines salvos fieri*: Per ipsam *proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum*, ipsumq; nobis donans, teste Apostolo, *donavit nobis omnia in eo.* Sic etiã pari vicissitudine caritas hominis se divinæ caritati conformi dimissione coaptat. Alta est, dum æterna & cœlestia contemplatur. Profunda est, cùm ab homine, propter Deum, vilitas & abjectio affectatur: Longa est, quia finaliter perseverat: fides enim & spes, atq; scientia, & cætera evacuabuntur;

2. Eph. 3, 18

3.

1. Cor. 2, 9.

Phil. 2, 7.

4. Eph. 1, 4 Ps. 102, 17.

5. 1. Tim. 2, 4. Rom. 8, 32.

6.

1. Cor. 13, 8. tur: *Caritas nunquam excidit.* Lata est, quia læta est, quando in dilectione justitiæ cor hominis dilatatur. Lata est, cùm extendit se non solùm ad Deum & proximum, sed etiam amore pio amplexatur inimicum. Lata est, cujus mandatum latum est, dicente Prophetâ: *omnis consummationis vidi finem, latum* Psf. 118, 96. *mandatũ tuũ nimis.* O lata & dilatans caritas, quàm magna est domus tua, & ingens est locus possessionis tuæ! cujus latitudinem & profundum comprehendunt sancti. Utinam & nos cũ eis in eadem lagenâ caritatis possimus pariter comprehendi. Dilatat utiq; Caritas in sanctis tentorium suum, ut si Deum & proximum dilexerimus, recipiamur in communem exultationem sanctorum, Quocirca non angustemur in visceribus nostris: non coarctemur intra limites quantulæcunq; justitiæ nostræ: credamus in Spiritum Sanctum, S. Ecclesiam Catholicam, sanctorum cummunionem, ut Psf. 138, 16. *imperfectum nostrum videant oculi tui* Jesu, & in beneplacito tuo, sanctorum communione, nostra insufficientia suppleatur. Si enim in sanctis dilexerimus Deum, & ipsi, pro suorum meritorum exigentiâ, suam nobis communicabunt beatitudinem apud Deum. Ubi enim in medio diligentium se erit Deus, omnia in nobis, necesse est, ut affectus communes, gaudiorum communio comitetur. Non solùm itaq; proximi, sed tota Christi beatitudo, communione amoris & exultationis atq; alieni participatione gaudii, nostra erit, quia ego beatitudinem in me habiturus de beatitudine alienâ supplebo. Bonum enim quod in Deo vel in proximo di-

mo diligam, diligendo faciam meum, ut perfectio gaudii alieni, meũ omnino suppleat imperfectum. Vis ut familiari exemplo rei hujus faciam tibi fidem? Videt mater filium suum, quem super omnia diligit regali unctione ac diademate imperiali, sceptro & infulis imperialibus insigniri: quanta est matris dilectio, tanta est exultatio ejus; & ex filii honore propriiq; fervore amoris, sui gaudii commetitur affectus. Sicut E. gaudium sui, atq; popularis applausus omnem congratulationem sibi mater appropriat, sicut interea viventium unusquisq; beneficia caritatis omni beatitudini coexaltat. O excellentia Caritatis! O dulcedo amoris! ô securitas! ô requies! ô Sabbatum Deificatum! ô æternæ felicitatis introitus, quam pretiosorem omnibus regnis *operatur Caritas de corde puro & fide non fictâ*! Quis mihi dabit hoc amatorio potu inebriari, hoc lethargo sopiri virus? A corde meo mortuus, totus à me translatus in amorem Dei & proximi, inter has duas sortes, *in ipsum dormiam & requiescam.* Quis me illi sanctæ communioni adscribet, ubi jucunditas singulorum transfundetur in omnes, & ab omnibus refundetur in Deum, eritq; Deus omnia in omnibus? ut sit ipse universis diligentibus eum, amor, gaudium, pax, vita, requies, claritas, securitas, & jubilatio, satietas omnium desideriorum æterna, & conservata gloriæ plenitudo.

9. †

10. 1. *Tim.* 1, §.

11. *Ps.* 4, 8.

ANIMAD-

SI quis autor malè habitus, & minus amicè tractatus est, sanè hic noster *Cassiodorus est*. Certè Edidio Genevensis de A. C. *1650*. 4. (præter quam mihi nondum adeò felici esse licuit, ut cernerem aliam, in qua inser-tus fuerit hic *de Amicitia & Amore* liber: nam in Editione Parisiensi de A. C. *1579*. fol. frustra illum quæsiveris) sic satis elegantes habet literas: verùm ipsa verba insanum in modum corrupta & defœdata ostendit. In quem faba hæc sit incudenda, num in Exscriptorem inerudi-tum: an verò Typothetam impolitum, aut Correctorẽ incuriosum, non facile habeo dicere. Interim ut mundior in mundum hic non adeò inutilis & futilis tractatus rẽdiret, quantum ab ingenio potui, in penuriâ exemplari-um melioris monitæ, Augiæ hoc stabulum purgare & quisquilias Sphalmatum â malê - feriatâ manu intrusorum everrere annisus sum. Reliquias verò, crucem Lectori ponentibus, quas amoliendo & eruncando non eram, Herculibus mefottioribus & argutioribus emundandas & emendandas reliqui: ut autem hæ magis obviæ essent, crucem s. obeliscum iis ad marginem præfixi. Cæterum dum præsens tractatus sub prælo est, animadversionesq; in eum nostræ jam conceptæ & informatæ idem exspectant, consulo atq; perlustro inter alios Auctores, *Ottonis* Freunden *Flosculos Amicitiæ* ibiq; forte fortuna aliquot de Amicitiæ gnomas sub *Petri Blesensis* nomine laudatas, (exceptâ unâ, quæ ipsius Cassiodori nomen referebat, transsumta ex nostri prol. §. 70.) quæ eædem admodum videbantur cum Cassiodoranis, bonâ scævâ reperio. Comparo itaq; mihi Petri Blesensis opusculorum volumen, atq; in ejus calce offendo *librum*

brum de Amicitiâ Christianâ. Verùm, ubi exactius utrumq; scriptum tam Cassiodori quàm Petri Blesensis examino, comperio, dicti Petri libellum esse solùm Compendium sive Epitomen Cassiodorani commentarii, & quidem partis ejus primoris, quæ de Amicitiâ agit. Hujus contracti libelli beneficio non parum adjutus sum in verâ lectione s. scripturâ indagandâ, uti ex subsequentibus cernere erit.

Prol. §. 6. *Togator.*) Vox nihili. Reponendum vel *Togatus* vel *Togatarum.* Electio cuiq; libera esto. Magis tamen arridet TO *Togatarum.* Nam *Afranius*, de quo hìc agitur, scripsit *Togatas.* Cæterùm licet correctio hujus loci ex Blesensis Epitomâ non sit exspectanda, quùm ea tantùm incipiat primùm â §. 12. ; attamen peti ea aliquo modo potest ex Ejusdem Epistolis, quarũ XCII. dâ verba Cassiodorana §. 4. 5. 6. & 7. nonnihil mutata adducit h. m.: *Et quæ invidia est, si, quod ex multiplici librorum lectione decerpsi, ferventiore studio digerente in materiam virtutis, & exercitium prudentiæ valescit? Nam sicut in libro Saturnalium & in libris Senecæ ad Lucilium legimus, apes imitari debemus, qui colligunt flores, quibus dispositis, & in favum divisis varios succos in unum saporem artifici mixtura, & quâdam sui spiritus proprietate transfundunt. --- --- --- Quicquid canes oblatrent, quicquid grunniant sues, ego semper æmulabor scripta veterum. in his erit occupatio mea; nec me, si poterit, Sol unquam inveniet otiosum. Nos, quasi nani super gigantum humeros sumus, quorum beneficio longius, quàm ipsi, speculamur, dum antiquorum tractatibus inhærentes, elegantiores eorum sententias, quas vetustas aboleverat, hominumq; neglectus*

quasi jam mortuus in quandam novitatem essentiæ suscitamus. In libro Saturnalium legimus, quod Afranius togatarum scriptor in eâ togatâ, quæ Compitalia inscribitur, suis respondens æmulis, qui eum multa de libro Menandri depilando sumsisse dicebant: fateor, inquit, sumsi, sed ea, quæ melius me posse invenire non credidi. Et in eodem: Quis fraudi Virgilio vertat, si ad sui ornatum carminis, quædam ab Homero, vel aliis mutuetur? imò gratia in hoc habenda esset, quod in opus perpetuò mansurum dicta eorum transtulit, quos jam neglectui & risui habebamus. Et post pauca: Deniq; & judicio transferendi, & modo imitandi consecutus est, ut quod apud eum alienum legimus, melius ibi, quàm ubi natum est, sonare miremur. Ex quibus Blesensis verbis multum lucis fæneratur hic Cassiodori locus. §. 12. *Subsannabit aliquis* &c.) Hic incipit primùm Epitomator Blesensis, qui ita hanc §. contrahit: *Subsann. al. & arg., quod senex amatoria ludicula, qui jam debilior, & in m. m. responsum m. accepi, scribam: Sed Mich. irr. nud. Dav. salt., utinam sic ludam, ut vilior fiam cum David in oculis meis, quatenus cum eod. in Sion arc. fœd. introducam.* §. 13. *Mihi tamen*) Petr. Blef. legit: *Mihi itaq;*. Ibid. *Si vel pauci*) Ed. Genev. *Paucos*: ut ex textu apparet. Ibid. *Qui à secularibus amore abstracti & summoti sunt*) Ed. Gen. *Qui seculari amore abst. & sumpti sunt.* Minus commodo sensu, ut videtur. Epitomator planè omisit hæc verba: *Eorum qui à secul. &c. laborant.* Ib. *Fœdus Jonathæ cum David*) P. Blef. *Fœdus cum David & Jonathâ.* §. 14. *Contemplatione cor se ad fructum amoris inc. ex.*) P. Blef. *Contemplatio cordis ad fructum divini amoris se inc. exerc.* §. 15. *Desiderio elig.*) P. Blef. *Ex desid. el.* §. 16. *Amor autem in &c.*) P. Blef. *Amor enim*

originem &c. Quæ vox ex corruptâ voce *Orginem* pro *Ordinem*, malâ forsan Exscriptoris manu corruptior facta esse videtur. *Ordinem* enim, non *Originem* hic locus postulat. Genev. Editionis lectionem depravatam etiam exhibet Petrus Blesi. Ibid. *Congregat pullos suos, portans eos in humeris suis.*) P. Blesi. paulo aliter: *Congregat pullos suos, & coinfirmatur infirmis.* Subsequentia de Lamiis & Jacobo planè omisit. §. 46. *Naturali amore impulsus* &c.) P. Blesi. mutavit verba, non sensum: *Amor induxit David plangere filium parvulum, dicens*: &c. Ex quibus verbis fermè inducor, ut in præcedentibus pro *Inclusit* legendum existimem *Induxit*. §. 47. *Naturalis amicitiæ*) P. Bl. *Carnalis amor*. De priore voce Petro admodum adstipulor: siquidem de Naturali amicitiâ jam §. præced. 45. & 46. locutus est, & ordo svadet, ut jam Carnalem attingat: ut ex §. 44. patescit. Ib. *Eximiâ teneritudine*) P. Bl. *Ex nimiâ ten.* Longe significantius. Ib. *Dum ratione d. e. a. i. a. g. coalescit.*) P. Blesi. *Dum ratione* &c. *convalescit.* §. 48. *Libertatis*) Rescribendum putarem: *Liberalitatis*. Ib. *Ratio amicitiæ causam ponit*) P. Bl. *Ratio amicitiæ causa constat.* §. 49. *Dolori*) P. Bl. *Labori*. §. 50. *Ut aliquis, quem nobis dictat ratio, diligendum se prop. virt. & amabilem reddit: Ut amor, qui ex ratione castus est, & affectione sit dulcis.*) Sic Ed. Gen. Petrus verò Blesi. *Cum al., q. n. d. ratio diligendi, se prop. virt. amab. reddit: ut amor., qui e. r. c. est, ex affectione sit dilectus.* Hæc lectio alteri præponderare videtur: tantum de ultimâ voce *Dilectus* ambigo. §. 52. *Vide igitur si hujus dilectionis, quâ teipsum diligis, putas mercedem aliquam exigendam, profectò nequaquam.*) P. Bl. *Unde igitur tu h. d., q. t. d., p. m. a. exigendam? profectò non â quoquam.*

quoquam. Hæc lectio alterâ correctior facit, ut non amplius locus præsens admittat obeliscum, qui etiam forte â præced §. si idem æquè apud P. Blef. extitisset, amoveri potuisset. Aliud igitur adminiculum quærendum est. Ib. *Nec intrinsecâ opera indiget*) P. Bl. *Nec alienâ nec extrinsecâ ope indiget. §. 53*) *Ergò alium æquè ut teipsum diligas necesse est &c.*) P. Bl. *Ut ergo. a. æ. ut teipsum diligas, necesse est, &c.* Magis perspicue. Ibid. *Quasi*) P. Bl. *Proximus.* Ibid. *De hujus am.*) P. Bl. *De hujusmodi am.* Ibid. *Quæritur*) P. Bl. *Quæratur.* Ibid. *Ipsa sit caritas, quæ n. e. c. f. e. g. & p. in Sp. S.*) P. Bl. *Ipsa caritas, q. n. e., c. f. e. g. & p. in Sp. S. non quærat, quæ sua sunt. §. 55. Productæ vitæ sibi spatium pollicetur*) Ed. Gen. *Productis vitæ s. s. p.* sine ullo congruo sensu. Nostram conjectionem stabilit Deflorator, qui legit: *Productioris. §. 56. Attractus*) P. Bles. *Abstractus.* Ibid. *Et infel.*) P. Bl. *Se infelices.* Convenientissimo & integerrimo sensu. §. 57. *Affectus concup.*) P. Blef. *Effrenis conc.* §. 58. *Spuria*) P. Bl. *Spurca.* Ib. *Ad tempus*) P. Bl. *Ad tempus est. §. 59. Omnia secreta sunt dulcia, pacifica, suavia & jucunda.*) P. Bl. *Omnia secura sunt, omnia suavia & dulcia.* §. 61. *Mortalis est hæc amicitia, quæ quanto accedentius consentanea est cupiditati, tantò longiùs â palatio amicitiæ est relegata: licet in amicitiæ cult.* &c.) Petrus deflorator §. LVII. æ, exclusâ totâ §. 58., subjicit loco paulò ante positorum verborum isthæc: *Nam amicitia, qvantò plus consectatur utilitatem, tantò longiùs â qualitate sinceræ amicitiæ abest. Licet enim amic. cult. &c.* Ibid. *Merâ liberalitate.*) P. Bl. *Mirâ libertate.* §. 63. *Venerabile*) P. Blef. *Memorabile.* Alteram lectionem stabilire

bilire videtur c. 9. §. 3. ubi dicitur: *Venerandum amicitiæ verbum.* Ibid. *Emersus tamen alterius utrobiq; profectus*) P. Bl. *Emersit tamen utrobiq; perf.* §. 64. *In gestu*) Sic Gen. Petrus Blesi. habet; *In qvæstu.* Ibid. *Est enim amicitiæ svaviſsimus fomes, fincer.* &c.) P. Bles. *Quæstus amicitiæ suaviſsimus, firma fincer.* &c. § 69. *Subsequi*) P. Bles. *Obsequi.* Ibid. *Vel legere*) P. Bl. *Simul legere.* Ibid. *Desiderare absentes cum moleſtiâ*) P. Bl. *Desiderare absentes, & cum moleſtiâ dimittere.* Ibid. *Dentem detractorum recludere.*) P. Bl. *Dentem detractori retundere.* Ibid. *Fideliter exhibere*) P. Bl. *Et fidem exh.* §. 70. *Consummari*) Ed. Gen. *Consumare.* Vitiosè. Noſtram lectionem approbat etiam Epitomator Petrus. §. 71. *Inſpiciamus*) P. Bl. *Reſpiciamus.* Ibid. *Deus quidem*) P. Bl. *Deus equidem.* Rectè. Ibid *Ipsaq; Domini legis*) P. Bl. *Ipsam demum legis.* Similiter rectè. §. 72. *In suâ ineffabili gloriâ*) Præpoſitio negativa malè heic omiſſa eſt in Ed. Gen. Noſtræ correctioni calculum adjicit Petrus Bles. §. 73. *Ipsum per hæc viſibilia ad appetitum suorũ inviſibilium invitare.*) P. Bles. *Ipsum per hæc viſib. ad inviſibilia appetitum commutare.* §. 77. *Rationabili*) P. Bl. *Rationali.* Ib. *Deus indixit modum.*) P. Bl. *Deus hunc indixit modũ.* §. 70. *Subserviat*) P. Bl. *Deserviat.* Ib. *Et infelicitatem*) P. Bl. *Vel felicitatẽ.* §. 80. *Si Deus eſt summũ & incommut.* &c.) Eclogarius Petrus excluſâ §. antecedente, verba hujus & seq. §. ita deformat: *Sic Deus, qui eſt summum & incommutabile bonum sic ordinat creaturas, ut singula naturam habeant, per quam bona sunt; ſpeciem, per quam pulcra ſnnt; uſum, per quem bene ordinata rationabili creaturæ proficiunt, ut ipſi nocendo non noceant, ſed ad correctionem vel ultionem eidem propoſita* &c. §. 82. *Ipse ergo*) P. Bl. *Ipse verò.* Ib. *Rationabilem*

nabilem) P. Bl. *Rationalem.* Ibid. *Ei adhærens*) P. Bl. *Adhærere Deo.* Ib. *Cui imago*) P. Bl. *Cujus imago* Ib. *Vivere*) P. Bl. *Vita.*

CAP. I. §. I. Epitomator Petrus in quibusdam paululum mutatam, in quibusdam locupletatam hanc §. fistit: *Tria sunt ergo, quibus spiritualiter Deo adhæremus, scilicet: Memoria, Scientia & Voluntas. Memoria quippe quodammodo cujusdam æternitatis capax est; Scientia notitiæ; Voluntas amoris. In his tribus* (Ed. Gen. legit *rebus.* non æque apposite) *primus homo Deum* &c. Ib. *Alterius rei*) Apud P. Bl. extrema vox non apparet. *Ib. Cumq; his*) P. Bl. *Cumq; in his.* Ib. *Id est amore*) P. Bl. *Et amore.* Ib. *Quoniam su. est.*) P. Bl. *Quod su. esset.* §. 2. *Quantò nim. maj. fuerit boni delectatio, & tantò beatitudo*) P. Bl. *Quanto nim. maj. summi boni dilectio, tantò in eo suavior delectatio, & tantò plenior beatitudo.* Ibid. *Percipiat.*) P. Bl. *Perscrutetur.* §. 3. *In rebus*) P. Bl. *In creaturis.* Ibid. *Ex mem.*) P. Bl. *In mem.* §. 4. *Specialiter*) P. Bl. *Spiritualiter.* §. 5. *Et ad majus &c.* P. Bl. præterito Scripturæ dicto Gen. 2, 18. *Non est* &c. hæc insequentia verba post verbum *commendatur*, subjicit: *Nec enim est majus, & expressius unionis indicium. Unus substantiam &c.* Ib. *Sic namq; primi communis sensus iter postea quodam &c.*) Epitomator Petrus heic plenior est: *Sic natura primitivos amoris affectus in hominum cordibus exaravit: quos sensus interior postea quodam &c.* CAP. II. §. 2. *Amorem suum*) P. Bl. *Amorem sanctum.* Ibid. *Addiceretur*) P. Bl. *Adjiceretur.* §. 3. *Decidit in defectum*) P. Bl. *Retulit defectum.* Ibid. *Et præsumens Deo esse similior, ei dissimilis & Deum perdidit & seipsum qualitercunq; B. Trinitatis imaginem*) P. Bl. iterum hic uberior apparet: *Et præs. esse similior,*

similior, ei diff. factus, & D. P. & seipsum. Nulla tamen prævaricatio ita imaginem Dei potuit abolere, quin habeat in se qual. B. Trin. imaginem. Seqq. 2 §. np. 4. & 5. prorsus excluſit Eclogarius Petrus. §. 6. *Chirographo mortis*) Ed. Gen. *Typographo.* Minus appoſitè. Ibid. *Triumfatis principatibus*) Ed. Gen. *Principibus.* Ibid. *Amor reficitur etiam per illius, quod crucif. Chriſtus in cruce nobis exhibuit, caritatis exemplum*) P. Bleſ. *Amor etiam reformari per illud, quod Chriſtus nobis in cr. innuit exemplum.* §. 7. *Urit autem reformatio, hujus imaginis plena: ubi memoriam &c. cupiditas depravabit. In primâ hæc erunt, ubi nullus erit* &c.) Epitomator Petrus licet decurtavit, tamen correctiorem dat nonnullibi hunc locum, h. m. *Plena enim hujus imaginis reformatio in patriâ erit, ubi nullus erit* &c. Ex his patet, malè *Urit* pro *Erit*, & comma poſt vocem *Reformatio* in Ed. Gen. poſitum eſſe. Ibid. *Fruentibus veritate*) P. Bl. *Ferventibus virtute.* §. 8. *Interim*) P. Bleſ. *Iterum.* Ib. *Patrare*) P. Bl. *Præſtare.* §. 10. *Ejusdem ſacrilegii malitiâ*) ſic corrigendum duxi, cum Ed. Gen. haberet *Militiâ* quæ vox huc minimè quadrare videtur. §. 13. *Vel cooperatione*) P. Bl. *Et convenientia.* Ibid. *Ille autem non amat, imò procul dubio* &c.) P. Bleſ. auctiùs: *Ille autem non amat, qui amat iniquitatem, imò illam procul d.* &c. Cap. III. §. 1. *In contractum*) P. Bl. *In contractu.* Ibid. *Cordis arcana*) P. Bl. *Cordis tui arc.* Ib. *Deinde admittendus, ſummâ tract. rev.*) P. Bl. *Denic admittendus, demum ſummâ tr. rev. §. 2. Ideo primitus vel in fundamento, dilectionis primitiæ conſecrentur* &c.) P. Bl. *Primitùs voluntatum in fund. amoris Dei prim. conſ.* §. 3. *Nec in Spiritual.*) P. Bl. *Ut nec in Spir.* Ib.

Admißio rerum div. & hum. &c.)P. Bl. *Admißio, rerumq; div. & hum.* &c. §. 4 *Poterit tamen*) P. Bl. *Poterit interim.* Ib. *Et admitti*) P. Bl. hæc duo verba non habet. Ib. *Nævus*)P. Bl. *Venenum.* §. 5. *De iracundo*) P. Bl. *De ira.* Ib. *Ira enim furor* &c. *ſtulti requieſcit*) Hæc omnia prætergreſſus eſt P. Bl. Ib. *Et ſupra*) Ed. Gen. *Et infra.* P. Bl. *Et in Eccleſiaſtico* §. 8. *Ex propriæ complexionis naturali conditione* &c.)P. Bl. *Ex pr. conditionis nat. inſtinctu.* Ib. *Certa eſt affectio*) P. Bl. *Certa eorum eſt aff.* Ib. *Exceſſum verbi aut operire* &c.) P. Bl. *Excesſum v. a. operis* &c. §. 8. *Si amicus* &c. *protulerit, in his & conſim.* &c.) P. Bl. *Si amicus* &c. *protulerit, ſi conſilio tuo ſuum prætulerit, in his* &c. Ib. *Concordia ad amicum*) P. Bl. *Conc. ad amicitiam.* Reliqua Eccleſiaſtici verba np. *Excepto* &c. *doloſâ.* idem Eclogarius omiſit Ib *Myſterii revel.*)Ed. Gen. *Injuſta rev.* §. 9. *Irâ inſtante*) P. Bl. *Irâ inſtigante.* Ib. *Exiſtimatur*) P. Bl. *Æſtimabitur.* Ib. *Propalatum)* P. Bl. *Prolatum* Ib. *A conſcio ſecretorum*)P. Bl. *A conſilio ſecr.* §. 10. *Perſudit)* P. Bl. *Perfundit.* Ib. *Innocentiæ*) P. Bl. *Innocentis* Ib. *Interius caritatem*) P. Bl. *Interius venerans caritatem.* §. 11. *Humilitatis*) P. Bl. *Humilitati.* Ib. *Quia rem*).P. Bl. *Quo rem* Ib. *Revelatio exſecrabilis eſt: amicos enim amovet, amaritudinè odii atq; indignationis aſpergens*). P. Bl. *Revelatio exſecr. eſt, quicquid inter amicos erat amoris aut gratiæ imprudenter evacuans, & omnia felle amaritudinis & odii atq; indign. adſp.* Ib. *Ideo Sapiens dicit: Qui* &c.) P. Bl. *Unde Sapiens: Qui* &c. Ib. *Amici myſterium denudare deſperatio eſt animæ infelicis*) Ed. Gen. *Amici miſeriam den. deſp. eſt animo infelicis.* Injuſtè & miſerè hic &, ſupra §. 8. *Myſterium* corruptum eſt.

est. Petrus Bl. hoc alterum Ecclesiast. dictum plane neglexit. Ib. *Et revelando quæ sibi commissa fuerant tanquam Deo, multa turbavit*) P. Bl. *Revelando enim, quæ s. c. fuerant, tanquam leo universa turb.* CAP. IV. In Cassiodoro Petri contracto omnino eliminatæ sunt 5. priores hujus Cap. paragraphi. §. 8. *Cum magnus sit*, &c.) P. Bl. ita hunc totum locum concinnavit: *Cum enim magnus sit amicitiæ fructus securitas, quâ te credis amico, quomodo potes* &c. Sensu non adeo incongruo. Ibid. *Vel etiam)* Ultima particula exterminanda videtur, quam nec P. Bl. agnoscit. §. 8. *Suspiciosi* &c. *relegandi*,) Hæc Periodus in P. Bl. non offenditur. Ib. *Quieta*). Nec hoc adjectivum textui Compilatoris adjectum est. Ib. *Suggerit*) P. Bl. *Ingerit.* Ib. *Subministrat*) P. Bl. *Administrat.* §. 9. *Viderit alii* &c.) P. Bl. *Viderit alicui.* Ib. *Aliis benevolum*) Prior dictio, quæ non potest sine sensus interitu abesse, in Epitomatore excidit. Ib. *Correptionem*) P. Bl. *Correctionem.* Ib. *Contumeliam*) P. Bl. *Odium.* §. 10 *Promtum*) P. Bl. *promtulum. Poteris*) P. Bl. *Debes.* Cæterum, ut hoc ὡς ἐν παρόδῳ addam, integrum præsens Salomonæum dictum, talibus extat verbis apud Interp. Vulg. *Vidisti hominem velocem ad loquendum? stultitia magis sperandæ est, quàm ipsius correctio.* §. 11. *Qui tuæ* &c) P. Bl. *Et tuæ.* Ibid. *Inter dispares amores*) P. Bl. *Inter disp. mores.* Aptius. §. 12. *Verbositas.*) Sic legit Epitomator: Et recte. Contra minus sana scriptura est Ed. Gen. quæ habet: *Acerbositas.* vid. *infra* Ind. in voce *Verbositas.* Ib. *Mihi tamen videntur non esse ab hac electione amicitiæ repellendos*) Hæc scriptura est Ed. Gen. Mihi tamen videtur hæc verborum constructio

constructio Priscianum ferire: Quare legendum autumem vel *Videtur repellendos*, vel *Videntur repellendi*. Abbreviator alia supposuit verba, np. ista: *Illos tamen minimè arbitror repellendos.* CAP. V. §. 1. *Fide: per quam & omnia* &c.) Sic Ed. Gen. Integrius Eclogarius: *Fide, per quam te & tua omnia* &c. lb. *Communicas*) P. Bl. *Committis.* §. 2. *Patientia, in quibus* &c.) Ed. Gen. *Aut etiam, in quibus* &c. Minus, ut videtur, probè. Hariolationem nostram adjuvat §. præcedens, ex quâ perspicuè elucet, vocem *Patientiâ* hîc necessario requiri. Dicit enim statim in initio hujus capitis: *Fide, Intentione, Discretione, Patientiâ amicitiam probari*: & deinde è vestigio docet, qui sigillatim *Fide, Intentione, Discretione, Patientiâ* probetur amicitia. Ergo modò attacta vox *Patientiâ* loco, unde mota est, reddenda videtur. Hæc erat conjectura mea. An autem ea firmissimo stet talo, ut moveri omninò nequeat, scrupulum injecit Cassiodorus Petri contractus, qui non solùm hoc loco τὸ *Aut etiam* itidem præsentat, verùm insuper etiam paulò inferius in frontispicio §. seq. pro nomine *Fides* substituit vocabulum *patientia.* Hinc mihi nonnihil aqua hæret. lb. *Diligenti cautelâ & exquisitâ examinatione discutias*) Ed. Gen. heic in minimo etiam abundat incongruè, in quâ pro copulâ *Et* offenditur non sine offensâ affinis conjunctio *Etiam.* A partibus meis stat quoq; Petrus Epitomator. lb. *Disquiras*) P. Bl. *Perquiras* §. 3. *Fides in amic.* &c.) P. Bl. *patientia etiam in am.* De varietate lectionis hujus loci §. præced. respice. §. 4. *Ipsa tamen ad ea* &c.) P. Bl. *Ipsa tamen in ea.* lb. *Intra animum*) P. Bl. *Circa animum.* lb. *Considerans: Si affuerint, non magni fa-*

gni facit: si abfuerint, non requirit) P. Bl. *Considerat. si adsunt, non magnificat; si absunt, non requ.* Ed. Gen. vocem *Magni* corruperat in præverbium *Magu.* §. 5. *Morum gratia & virt.*) P. Blef. *Mores, gratia & virt.* Ib. *Et notandum: sicut* &c.) P. Bl. *Et notandum, quod, sicut* &c. Ib *Qui famulatoriè amat, in prosperis erit amicus; adversarius in adversis*) P. Bl. *Qui simulatoriè amat in prosperis, adversarius erit in adversis.* §. 6. *Deponat larvam dilectionis Hypocrita in procellâ turbinis, & faciem suborna-tæ familiaritatis retegat.*) P. Blef. hæc profert ita: *Dilectio Hypocritæ in proc. tribulationis succum suborn. famil. retegit.* Sequentia verò verba, nempe: *Qui nunc simulatè &c. Sophisticè commetitur*; planè removit. §. 7. *Frater in angustiis comprobatur. Et arguens infidelem Deus, inquit: Putridus dens & pes lassus &c.*) Ed. Gen. supponit *Semper* pro *Frater*, & *Lassus* pro *Lapsus.* Minus appositè. Quod spectat priorem emendationem, nobiscum facit Petrus Excerptor, qui & hic ellipsin fecit, dum neglexit illa verba: *Et arguens &c. die angustiæ.* §. 8. *Non solùm per adversitatem &c.*) P. Bl. *Nec solùm adversitate.* Ib. *Sua*) Hanc vocem P. Bl. prætervectus est. §. 9. *Sub eâ cautione & admonitione terribili credas*) Ed. Gen. *Admiratione.* Vide, numne nostra conjectura accedentiùs consentanea textui sit. P. Bl. scripsit: *sub eâ cautione & adjuratione credas.* Ibid. *Probatur igitur in minoribus, dum securius &c.*) P. Blef. *Probatum igitur in min., securius &c.* §. 10. *Aliquod*) P. Bl. *Aliquid.* Ibid. *Aut percunctator aliquid turpitudinis tibi absenti intulerit*) P. Blef. *Aut detractor verbis aliq. turp. inusserit.* Ib. *Mutari*) P. Bl. *Immutari.* §. 11. *Suggessisse*) P. Bl. *Suggerentem.* Ib.

Xeno-

Xenocrates) P. Bl. *Quidam ejus amicus.* lb. *Detraxisset*) P. Bl. *Detraheret.* lb. *Et hoc ipsum relator offerebat juramento firmare*) P. Bl. *Et hæc relator juramento audebat affirmare.* lb. *Non est credibile*) P. Bl. *Non est, inquit, credibile.* lb. *Subjecit: Et si hæc &c.*) P. Bl *Respondit: Si hæc* Ibid *Cognovit*) P. Bl. *Novit.* §. 12. *Supervenerunt*) P. Bl. *Superveniebant.* lb. *Tradidit Philippo literas legendas*) P. Bl. *Tradidit literas Philippo ad legendum: ex suo nim. amore affectum pensans amici, in ipso mortis articulo venenum mortis exclusit.* CAP. VI. §. 1. *Venalis est enim*) P. Bl. *Mercalis enim est.* §. 2. *Sed tantò purior est erga pauperem caritatis affectio, quantò nulla circa eum subest adul. aut simul. tractatio*) Epitomator Petrus, ejectis verbis antecedentibus (scil. *Divitibus enim &c. simulatione agit*) ita nostrum inducit loquentem: *Tantò enim pur. est gratia pauperum & caritatis affectio, quantò nulla circa eam subest adul. vel simul. occasio.* §. 3. *Si ergo videris hominem &c. quod per te præstare vel per alium possis, nunc in hujus casu, ex risu ficto, nunc ex reverentiâ & obsequio negligentiore ambitiosæ mentis ægritudo poterit deprehendi*) Epitomator hîc rursus abundantior est: *Si videris hominem &c. quod per te vel per alium præstare possis, si in hujus rei obtentu ei aliquis tibi præferatur, facilè, quâ tibi intentione adhærebat, patebit. Nam in hujusmodi casu, nunc ex dejectione oculorum, nunc ex vultus aversione, nunc ex verbo subtristi, nunc risu ficto, nunc ex rev. & obs. negl. amb. mentis gratitudo poterit deprehendi.* Ibid. *Discretio*) Ed. Gen. *Dissensio.* Et mox *Dissensione* pro *Discretione.* Lectio Ed. Gen. in utroq; loco falsa. Postquam sic conjeceram, incidi in Cassiodorum Petri contractum, atq; ibidem confirmationem

tionem conjecturæ meæ reperi. Ib. *Remige*) P. Bl. *Regimine*. Ib. *Circumferuntur*) P. Bl. *Circumfertur*. §. 4. *Inflammantur*) P. Bl. *Inflantur*. Ib. *Causam*) P. Bl. *Casum*. Ibid. *Talis indiscr.*) P. Bl. *Talis ex indiscr.* CAP. VII. *Videris eum, durius arguendo*) Ultimas tres voces P. Bl. non habet. Ibid. *Patientia*) P. Bl. *Tolerantia*. Ib. *In tacitâ*) P. Bl. *Incautâ*. Rectius. Ib. *Superfit*) P. Bl. *Supereft*. §. 2. *Nec te in al. &c. decet*) P. Bl. *Non te in al. &c. pigeat*. Ib. *Aut cùm ex tali &c.*) primorem particulam P. Bl. non agnoscit: nec etiam textus admittere videtur. Ibid. *Præcipias desiderabilem fructum; medicamentum scil. vitæ & jugis lætitiæ solidissimum fundamentum*) P. Bl. *Percipias desiderabile medicamentum*. Sic ille Abbreviator legit, exclusis reliquis verbis. Ib. *Cui benevolentiæ &c.*) P. Bl. *Et benevolentiæ*. Accommodatius; si textus penitius consideretur. §. 4. *Vel ubi*) P. Bl. *Ut ubi* Ib. *Commixtio*) P. Bl. *Conjunctio*. Ibid. *Quibuslibet*) P. Bl. *Quilibet*. Convenientius. CAP. IIX. §. 1. *Fovenda amicitia est*) P. Bl. *Fovenda insuper am. est*. Ib. *Ut maledicenti de illo &c.*) Auctior est lectio P. Blef. *Ut de amico malè sentire, aut malè dicenti de illo &c.* Ib. *Si videres*) P. Bl. *Si videris*. Ib. *Suspicantem*) P. Bl. *Suspicari*. Ib. *Existimantem*) P. Bl. *Æstimantem*. §. 2. *Videatur*) P. Bl. *Mereatur*. Melius. Ibid. *Sic ergo fovenda amicitia, ut sit in nostro sermone jucunditas, in vultu hilaritas, suavitas in moribus &c.*) Ed. Gen. *Sic ergo fov. am., ut s. i n. s. jucunditas in hilaritas vultu, suav. i. m.* Ecce, quàm mala trajectio vocum & dispunctionum. Correctionem nostram roborat Cassiodorus Petri contracto, qui insuper inter duas ille voces, *Fovenda amicitia* copulam illam Logicam *Est* inserit. Ib. *Quidam color favorabilis & grata jucunditas. Sic in honestis rebus crebra*

bra collatio, communicatio arcanorum, & in alterius voluntatibus mutua obsequela.) P Bl. *Quædam oculorum fav. & g. jucunditas; sit de reb. hon. cr. coll., communio arc. & in alterutris volunt. o. §. 3.* Hanc §. non nihil invertit P Bl., vel verba ejus translocavit, sine jacturâ tamen sententiarum. lb. *Mutuam faciamus)* P. Bl. *Mutuò faciamus. §. 4. Amicitiæ i. v. c. nutrietur, & si sev. am facies quandoq; m. e. g., ipsa gravitas t. c. e., q. benignius ad affectum descendet socialem)* P. Bles. *Amicitia i. v. c. nutriatur, & severior a. facies maturam e. g.: ipsa enim grav. t. c. e., q. ben. condescendit ad affectum societatis.* Ibid. *Lex enim amicitiæ super humiliori eo humiliat, &, qui ordine dignitatevè præeminuerit, pl. hum. sp. junioribus condescendit)* Sic Ed. Gen. At P. Bles. *Lex en. am. s. h. cohumiliat, ut, qui ordine, dignitate vel scientiâ præeminent, p. h. s. in moribus condescendant.* Ornatius. CAP. IX. §. 1. *Namq;)* P. Bl. *Itaq;. §. 2. In amico igitur consideretur æqualitas, non fortunæ circum pœnitentia vel accidentia requirantur. Sed sic amicorum paritas inter amicos universa disponat, ut d. subl. humiliq; adscendat: ditescat pauper, dives indigeat: & ex compari affectuum communione fiat æqualitas.)* P. Bl. *In amico naturæ consid. æq., non fortuna vel accidentia req., sed animorum paritas i. a. u. disponit, ut d. s., humilis a., d. p., d. i. & ex pari affectu, nec non communione, fiat æqualitas.* Quid sibi velint illa, quæ in Ed. Gen. extant, verba, *Fortunæ circum pœnitentia*; augurari non habeo: quid si legatur: *Fortunæ circumvenientia*, id est quæ fortunam circumveniunt vel circumdent. Aliud hac vice inde comminisci non licet. Eruat meliora, cui liquet: non equidem invidebo. §. 3. *Intelligit.)* Ita Ed. Gen. Verum

rum P. Bl. *Intelligitur*. Utrumq; subsistere potest. Ib. *Jonathas amicus* David, *non successionem in regno patris quærebat, sed quem in amicitiam susceperat* &c.) P. Bl. *Jonathas am. Dav. non successionem in regno, non patris comminationes attendens, servum patris sui, quem in amicitiâ susceperat* &c. §. 5. *Et exhæredatori suo*) P. Blef. *Et ex hæreditario jure suo*. Non æquè appositè. Ib. *Aut offendere*) P. Bl. *Aut offendi*. Magis congruè ut videtur. Ib. *Afflicto*) P. Bl. *Amico*. Ib. *præferens*) P. Bl. *Præferebat*: ubi statim excludit Verba illa: *Tu eris, inquit, rex & ego ero secundus post te*. §. 6. & 7. *Cumq; Saul mortis* &c. *virum ultrò rapientis*. Ista prætermisit P. Blef. Pro subsequentibus verbis substituit hæc: *Insuperq; intulit Jonathæ, quòd David diligeret in confusionem suam & ignominiosæ matris suæ, totumq; invidiæ virus evomens, ambitionis & odii cupivit suscitare incentivum*: & denuò neglexit orationem Sauli istam: *Quandiu, inquit, vixerit* &c. *regnum tuum*. §. 6. *Cujus amicitiæ non depravarent modum?*) P. Bl. *Cujus amicitiam non depr. in odium?* §. 9. *Ad convitia patiens & ad minas*) P. Bl. *Ad injurias & conv. pat.* Ib. *Meretur gratiæ incrementa.*) Cassiodorus Petri contractus ita interpolatus monstratur: *Memor gratiæ, & immemor gloriæ fuit*; mutilatis adhæc verbis, aliquoties superius jam repetitis, Jonathaneis. §. 10. *Potentiam amicitiæ postponant*) Ed. Gen. mediæ & ultimæ vocibus particulam interjunxit negativam, quæ huc minimè spectat. Potest & aliâ ratione remedium huic loco adferri, nim. hac, si legas: *Potentiam amicitiæ non præponant*, cum Epitomatore Petro: qui totam §. hanc ita interpolavit: *Teste Tullio, impossibile est*

bile est reperiri, qui honores sive potestates amicitiæ non præponant; imbecillis enim natura hominis est ad obl. sibi pot. cont. &c. §. 11. *Hæc est amicitiæ natura stabilis* &c. vid. reliqua supra in textu) Eclogarius noster tali modo hanc §. præsentat: *Hæc est amicitia vera & stabilis & æterna, quæ sic tentata, sic pulsata non mutatur, non suspicione, non invidia, non improperiis, vel comminationibus lacessita vacillat.* Cap. X. §. 1. *Lex amicitiæ est, sicut Scriptorum clamat autoritas ut non nisi* &c.) Cassiodorus Petri contractus: *Lex amicitiæ clamat, ut nihil nisi* &c. Ib. *In sinu*) P. Bl. *In sinum.* Ib. *Aliquid*) P. Bl. *Quæ honesta sunt.* Ib. *Convenientiam*) P. Bl. *Convenientia.* Ib. *Scriptum est*) P. Bl. *Sicut scriptum est.* Ib. *Pro amico*) P. Bl *Propter amicum.* Ib. *Multò fortius ejus*) P. Bl. *Multò facilius est ejus.* §. 2. *Porrò non omnes* &c. *familiaritate potentum.*) Pro illis prolixiusculis verbis Petrus abbreviator contracta hæc sufficit: *Plerumq, ditiores inveniuntur pauperiores.* Ib. *Certi per certa*) Ed. Gen. *Certa per certa.* Certè absurdè. Ib. *Alius plus in consiliis potest, alius in familiaritate potentum*) Vox *Alius* secundo loco posita, quæ in Ed. Gen. non apparet, an satis secundo alite â me heîc locorum insperså sit, judicio argutiorum committo. Aliquid tamen omissum suspicor, quod neq; ex Petro Bl. suppleri potuit, siquidem ille quam plurima inexcerpta & hîc reliquerit, ut jam paulò ante monitum. §. 3. *Amicum ditaveris*) P. Bl. *Amico donaveris.* Ib. *Non deponas oculos*) P. Bl. *Nec deprimas oc.* Ib. *Et quasi voluntatem petentis præsagiens, occurras, & desiderium ejus præcurras.*) P. Bl. ita partim contraxit, partim auxit; *Et quasi desiderium ejus liberalitate præcurras, ut non*

non rogatus videaris præstare quod donas. § 4. *Observandum est, quod sit una* &c.) P. Bl. *Absurdum est. quod non sit una.* Ibid. *Si petitur, beneficiis prævenire curemus*) P Bl. *Si petimur, prævenire debemus beneficiis.* §. 5. & 6. *Booz advertens &c. paupertas excusat*) Hæc verba Epitomator non respexit. Ib. *Obventus*) P. Bl. *Obtentus* §. 6. *Si duo sublata essent de medio*) P. Bl. *Si hæc duo verba de medio tollerentur.* §. 7. *Quòd cùm multi multa pro suis facultatibus datori suo Socrati obtulissent* &c. Reliqua repete ex ipso textu) Sic Edit. Gen. Ast P. Bl. totam hanc §. sic exhibet: *Seneca refert, quòd multi auditores doctori suo Socrati pro s. f. multa obtulissent, & sibi plurima reliquissent. Æschines pauper: Nihil, inquit, dignum te, quod tibi dare possim, invenio, hoc s. quod habeo* (hoc verbum desideratur in Ed. Gen.) *i. e. meipsum, tibi trado. Et sic inter paupertatis angustias, paupertas materiam largitatis invenit.* Cæterum §. 9 plane ab Epitomatore succisa est. Cap. XI. §. 1. *Illud autem)* P. Bl *Illud tamen.* Ib. *Queruntur*) P. Bl. *Causantur.* Ib. *Si alios & non se viderint*) P. Bl. *Cùm alios viderint.* Ib *Sed quid & quantum ille, cui donaturus es, ferre valeat, & sufficienter implere discernas.*) Ita Ed. Gen. sed P. Blef. extrita antecedente parenthesi locum hunc producit tali modo : *Tu verò solerter attendas, non quid possis præstare, sed quid & quantum ille, cui daturus es, sufferre, & sufficienter implere.* §. 2. *Suas tamen partes in talibus* &c. *melior præferatur*) Cassiodorus Petri contractus pro iis exhibet hæc: *Ubi enim virtutum æqualitas invenitur, nemo se contemtum doleat, si ei melior præferatur* §. 3. *Nec affectum* &c.) P. Bl. *Non tamen aff.* §. 4. *Certior*) P. Bl *Securior*

turior. Ib. *Joannes autem innuente Petro --- --- --- confidenter interrogat*) Ita emendandum censui: cùm Ed. Gen. planè absonè pro *innuente* supposuerit vocem *innocente*: Cæterùm totam hanc periodum (*Non audet Petrus &c. confidenter interrogat*) hac formâ profert Eclogarius: *Non audet Princeps Apostolorum â Domino requirere, quis eum traderet, quod Joannes confidenter interrogat, dicens: Domine quis est, qui tradet te?* §. 5. Hanc totam §. tali induit veste Excerptor Petrus: *Sicut enim providâ consider. inter am. officia distribuenda sunt: ita nec æqualis affectio omnibus impendenda; quia secundùm mores & merita hominum nobis certa diligendi causa præscribitur.* §. 6. *Scribit se neminem ita habere unanimem*) Sic restitui huc locum ex vulg. Bibl. Interp. nam Ed. Gen. habebat: *Scr. se nem. i. h. in animo.* Ex Epitomatore nil subsidii promittendum: siquidem Exemplum Pauli ne verbo quidem attigit. §. 7. *Sit erga amicos &c. collatio: sit alter manus &c. refugii portus*) Ita Ed. Gen. At P. Bl. *Sit ergo alter alteri mutua spirituum requies, sit in angustiis ref. portus.* Ex collatione harum 2. scripturarum unam integram formare possesh. m. *Sit erga amicos rat. & mod. disp. benef. collatio. Sit alter alteri manus, sit oculus* &c. Reliqua vide supra in ipso textu. Ib. *Conscendere*). P. Bl. *Ascendere.* Ib. *Toto corde*) P. Bl. *Ex toto corde.* CAP. XII. §. 1. *Ex diverso peremtoria ejus est inverecunda frons: & frontis infirmitas plerisq; accidit. Quod, cum iracundiæ ignis in eorum corde conceptus jam prodierit in publicum: aut cum jam verbum contumeliæ prorupisset ad fauces, supervenientis adspectus amici sedabat excusantis animi motus, turbationem mentis, faciem quadam placa-*

placatione vultus, & autoritate venerabili subitò serenabat) Sic legitur in Ed. Gen. Cassiodorus Petri contractus talem scripturam præsentat: *Ex conversò peremtoria ejus est inv. frons, & attritæ frontis infirmitas. Plerisq; accidit, quod iracundiæ ignis in corde conceptus prodiit in publicum, sed supervenientis amici adspectus sedat æstuantis animi motus, turbatamq; mentis aciem venerabili vultus autoritate serenat.* Ex his ejusmodi verborum structuram erui: *Ex diversò peremtoria ejus est inverecunda frons & attritæ frontis infirmitas. Plerisq; accidit, quod iracundiæ ignis in eorum corde conceptus jam prodit in publicum; at, cum jam verbum contumeliæ prorupisset ad fauces, supervenientis aspectus amici sedat excursantis animi motus, turbatioremq; mentis faciem quâdam placatiore & venerabili vultus autoritate subitò serenat.* §. 2. *In hoc enim apparet &c. timeas*) Ita Ed. Gen. Epitomator Petri° ea contrahit præcedentibus q; adnectit h. m.: *Serenat; & in hoc apparet amicitiæ magna virtus. Amicum igitur studeas libenter, &, prout utilitas ejus exigit, officiosè objurgare.* Ib. *Illud tamen obsequium &c.* Epitomator Petrus, verbis illis: *Cùm autem pleramq; &c. odium parit*; remotis, iterum prioribus sequentia annectit ita: *objurgare: nam illud obs. &c.* Ib. *Indulgentiorem*) P. Bl. *Condemnabilem.* §. 3. *Sit itaq; &c. affabilitas*] P. Bl. hæc ita concipit: *Fiat itaq; admonitio dulcis, non acerba objurgatio, nec contumeliosa; adsit ei honestas & suavitas.* Ib. *Vitiosum*) P. Bl. *Vitii. Si verò se lædi &c.*) Eclogarius locupletior hic est: *Si verò se lædi putat, tamen eum corripe; &, si animum ejus vulnerat amara correptio, tu tamen corripe.* §. 4. *Ira verò procul &c.*) Ut in proximè præcedenti periodo Epitomator noster

abundantior sub exodium erat, sic in hac sub exordium: *Objurgationes ergò fieri oportet cum quadam acriore gravitate verborum, ita ut videamur irati; sed ira procul &c.* Ib. *Consideratè*) P. Bl. *Consideranter.* §. 3. *Castigatio ejus &c.*) P. Bl *Castigatio ergo.* Ibid. *In omnibus deniq; &c.*) P. Bl *In omnibus ergo.* Ib *Plus*) P. Bl. *Amplius.* Ibid *Ebullientem interius æstum vesaniæ*) P. Bl *Latentem vesaniam.* Ib. *Nunquam in corripiendo*) P. Bl. *Rarò objurgando.* §. 8. *Dejectior vultus*) P. Bl. *Dejectio vultus.* Ib. *Et intimiora suspiria gemitus intercidat*) Hæc lectio Ed. Gen. Verum Epitomator hic uberior est & elegantior: *Interim ora, plora, suspira, & vocem gemitus intercidat.* §. 9. *Aversionis*) P. Bl. *Adversitatis.* Ib. *De intimâ compassione procedit*) P. Bl. *De int. cordis compassione procedat.* Ib. *Memoratione*) An hæc vox sana sit, ambigo: videtur n. vitium aliquod in eâ latere. §. 10. *Affectuum puritatem*) P. Bl. *Affectuum paritatem.* Ib *Correctionis*) P. Bl. *Correptionis.* §. 11. *Non est subitò objurgandus*) P. Blef. auctius: *Non est subitò vel publicè objurg.* Ib. *Exsecrare*) P. Bl. *Excusare.* Convenientius. Ib. *Correptionem*) P. Bl. *Correctionem* Ib. *Et familiare & secretum*) P. Blef. *Et familiare secretum.* Venustius Ib. *Tantâ*) P. Bl. *Cautâ.* Magis apposite. Ib. *Auris patientior verba blandè monentis admittat*) P. Bl. *Patatiùs verba mon adm.* CAP. XIII. §. 1 *Qui se incorr.*) P. Bl *Qui si se incorr.* Melius. Ib. *Dissolvenda*) P. Bl. *Dissuenda,* §. 2. *Veluti*) P Blef. *Videlicet.* Ib. *Dissolvenda*) P. Bl. *Dissuenda.* Ib. *Quod non prof.*) P. Blef. *Ita ut non pr.* Ib. *Contumeliæ verba*) P. Bl. *Contumeliosa verba.* §. 4. *Semper quem am. hab, sic hoc exhibendum est.*) P. Bl. *Semper ei, quem a, h, hit honor exhibendus est.* Ib. *Consule saluti*) P. Bl. *Et saluti*

saluti tuæ. Ib. *Secreta amicitiæ*) P. Bl. *Amici secreta.* Ib *Licet hæc ipse prodiderit*) P. Bl. *Licet ille prodiderit tua. Alienâ comminatione*) Has voces non habet P. Bles. Ib. *Nullus.*] P. Bl. *Nullius.* Ibid. *Religioni aut fidei seu paci*) P. Bl. *Religioni tuæ aut paci.* Ib. *Præfit*) P. Bles. *Præponatur.* §. 7. *David rex licet* &c. Excerptor Cassiodoranus, prætergressus exempla Ahasveri & Iahelis hoc tertium de Davide exemplum superioribus his verbis jungit: *Præponatur; intuens, quod Rex David pactum, quod cum Jonathâ fecerat, irritum faciens pro pace & salute multorum, 7. viros de cognatione ejus Gabaonitis tradidit puniendos.* CAP. XIV. §. 1. *Dissolutione*) P. Bl. *Solutione.* Ib. *Animiq; beneficium*) P. Bl. *Seq; beneficum.* §. 2. *Refricare*) P. Bl. *Testificari.* Minus probe. CAP. XV. *Ex quibus amici disjunctio causam habet*) P. Bl. *In q. amicitiæ disj. locum habet.* §. 2. *Remaneat*) P. Bl. *Maneat.* Ib. *Subtrahitur tamen illa suav.*) P. Bl. *Subtrahitur t. illa interior & suaviss.* Ib. *Seminabat*) P. Bl. *Jucundabat.* Ib. *Aliqua*) P. Bl. *Alia.* Non æquè bene. Ib. *Impendenda est*) P. Bl. *Imponenda.* Atque hèic definit Cassiodorus Petri contractus. CAP. XVI. §. 1. *Habeat fundamentum*) Ed. Gen. *Debeat fund.* §. 10. *Claudit tamen ostium conscientiâ & favore laudis humanæ*) Perpendendum, an hæc lectio melior sit eâ, quæ exstat in Ed. Gen.: *Claudit t. o. conscientiæ & f. l. h.* §. 11. *Voluptate*) Hanc vocem exigit textus, præ eâ, quam Ed. Gen. obtrudit: *Voluntate.* Ib. *Uberius sortietur augmentum*) Annè accommodatior hèic vox *Augmentum* se sistit, quàm illa Ed. Gen. *Argumentum*? CAP. XVII. §. 6. *Et rursus Idem: Æmulamini charismata meliora caritatem intell. &c.*)

Ita supplevi hunc locum: An rectè & integrè, viderint alii. Certè in Ed. Gen. ad minimum una linea seu unus versus deficit: ita enim illa legit: *caritatem. Et rursus:*

- -

risimata mel. car. intell. &c. §. 7. *Vera de corde puro &c.*) Ed. Gen. *A Caritate Dei, quæ est in C. J., vera de corde puro, & fide non fictâ. Caritas quasi ignis scintillans fervebat in Paulo. Unde adhuc &c.* Minus commode distincta hæc sunt. Confer nostra, & differitatem cernes. CAP. XIIX. §. 6. *Attingentem â fine usq; ad finem fortiter, & disponentem omnia suaviter*) Ita hæc ex Vet. Bibl. Interp. correxi. Ed. Gen. legit: *Agentem omnia fortiter, & omnia suaviter disponentem.* Non æquè bene. CAP. XIX. §. 1. *porrò quidam ea ad perfruendum sibi eligunt, quæ peremtoria sunt (alutis)* Ed. Gen. *porrò qu. ea ad perf. f. el. ad q. p. s. f.* planè absonè particula *Ad* trajecta est. CAP. XX. §. 6. *Usq; quò & aggravat contra se densum lutum.*) Ed. Gen. *Usq; & aggravat c. se damnosum lutum?* Minus plenè & rectè CAP. XXI. §. 1. *Non est vestigium invenire*) Ed. Gen. *Non est v. in mari.* Ib. *Valuimus ostendere*) Ed. Gen. *Voluimus o.* Nostram lectionem validam ostendit utrobiq; Vet. Bibl. Interpr. §. 8. *Irrogatam, volente eos in hoc puniri &c.*) Vide an hæc lectio magis arrideat præ illâ Ed. Gen. *Irrogatam. Volens eos. &c.* §. 9. *Intentator*) Ed. Gen. *Intentor.* Fortè σφάλμα typotheticum. §. 15. *Habes ex verbis Salomonis vanitatem & afflictionem. Apponit Veritas tertium, scil. servitutem*) Extimâ voce illam, quæ Ed. Gen. dehonestat, *Virtutum* mutavi, inductus verbis statim sequentibus: *Conjungantur hæc tria: Vanitas, ser-*

vitus

vitus & Spiritus etiam afflictio. Virtutum a. hîc nullus usus. §. 21. *Et hoc jugum cupiditatis amarum, & onus seculi grave*) Vocabulum illud *Amarum*, quod in Ed. Gen. non apparet, inserendum videtur, aut aliud ejus simile: nam tale quid textus desiderare videtur, quod opponatur *Suavi*: ceu *Grave* opponitur *Levi*. CAP. XXII. §. 2. *Detur vacare*) Ed. Gē. *Detur vocare* Inconcinne. Ibid *Quoniam Dewipse est*) Ed. Gen. *Quoniam Jesus i. e.* Æquè probè: quamlibet prior scriptura petita sit ex Vet. Bibl. Interp. §. 3 *Sed dixit, & facta sunt* (*omnia, pro beneplacito suo*) *mandavit, & creata sunt* (*universa*)] Cancellis circumdata non apparent in Vet. Bib. Interp. §. 6. *Magnæ quidem excell. dies &c.*) Sic emendandum duxi. Ed. Gen. habet: *Manè qu. exc. Deus est.* Absq; ullo congruo sensu. §. 11. *Spes secundæ*) conjunctio *Et*, quam inter has 2. voculas positam habet Ed. Gen., supervacanea videtur. §. 20. *Qui non bono est animo*) Malè heîc in Ed. Gen. eliminata erat particula negativa. Interim sciendum, Veteris Bib. Interp. esse talem lectionem: *Qui amaro sunt animo.* §. 22. *Christi deniq; morte suscitata*) Penultimam vocem, in Ed. Gen. neglectam, inserendam putavi, quippe quam desideret textus, qui aliàs sine eâ mancus esset. §. 24. *Virus animi --- --- aura corrumpens &c.*) Vocabula gemina, quæ in Ed. Gen. offenduntur, np. *Virtus Aurora* omnino ab hoc abhorrent loco. §. 25. *Quod non semper die &c.*) Ed. Gen. denuò excluserat adverbium negativum. §. 39. *Indigentia*) Ed. Gen. *Indulgentia*. Ineptè. Ibid. *Desponsavit te fide: foris ornavit sensibus, quasi quibusdam præfulgentibus gemmis; at verò interiùs*

terius, quasi naturali pulcritudine sapientiâ insignavit.) Hæc vera nostri loci lectura videtur. Ed. Gen. habet: *Desponsavit te fide. Foris ornavit sensibus q. q gemmis, te verò interius &c.* Non æquè perfectè & intelligenter. §. 45. *Xenia*) Ita emendavi. Ed. Gen. *Venia.* An hoc nomen *Venia, orum,* sit significativum, & apud adsiduum Scriptorem reperiatur, indagent eruditiores. Certè non memini hucusq; me legere. §. 47. *Illud autem jugi*) Ed. Gen. *Aut.* Turpi apocope. §. 53. *Videbis tamen*) Ed. Gen. *Tunc.* Parùm appositè. Idem commissum apparet §. 56. 62. & 68. §. 56. *Jeremiâ*) Ed. Gen. *Esaia.* Minus accuratè. Dictum enim subjectum extat in anteriore Prophetâ. §. 63. *Annulo fidei*) Ed. Gen. *Æmulo.* Admodum fœdus error. §. 69. *Ut te de luto fœcis exig.*) Ed. Gen. *Ut de tede luto f. ex.* Satis lutulentum & fœculentum erratum exigatur. §. 70. *Elavit*) Ed. Gen. *Celavit.* Forsan non potuit reminisci Exscriptor, quod *Elavit* idem sit quæ *Eluit* aut *lavando emundavit,* & hinc tertiam Alphabeti literam, quæ verbum suo cerebello notum produceret, præfixit. Egregiam verò eluitionem, quam potius celare debuisset. §. 74. *Inquit Dominus, capere capiat. Et Apostolus*:) Ista verba in Ed. Gen. pessimè hinc abacta erant, & in c. 24. §. 1. traducta; quo fato, hariolari non liquet. Ib. *Submination pœn.*) Ed. Gen. *Imitatione.* Quæ vox hic locum non invenit. §. 75. *Mandavit equidem*) Ed. Gen. *Mandavit & quidem.* Ib. *Verba Sapientiæ*) Ed. Gen. *Verba Sapientium.* Leviusculi erratus. §. 78. *Multiplicatæ sunt super capillos capitis mei, cor meum dereliquit me. Et iterum sui cordis* &c.) Ed. Gen. tergeminum hic errorem commisit: Primò pro *Multi-*

Multiplicatæ sunt posuit *Multiplicasti*: deinde pronomen *Se* omisit: & deniq; itidem pronomen *Sui* in *Tui* mutavit. 82. *Nobiscum*) Ed. Gen. *Vobiscum*. Ibid. *Ut ergo cor nostrum totum in gratiæ suæ dilectionis alliciat, & ab amore mundi nos prorsus avellat cum amicis ipsius: & hoc docet nos sacra eruditio. Cor nostrum ad amorem suum paternâ lenitate invitat*) Ita Ed. Gen. Verùm male hæc cohærent, ut diligentius contemplanti apparebit. Quid sibi volunt verba illa: *Cor nostrum totum in gratiæ suæ dilectionis alliciat*? Vix licet penetrare; nisi forte legendum sit: *In gratiæ suæ dilectionem*; aut *in gratiam suæ dilectionis*. Præterea verba illa: *Et hoc docet nos sacra eruditio*, vel huc non spectant, vel ad minimum parenthesi includenda, remotis colo & puncto verba parenthesi inclusa præcedentibus & consequentibus. CAP. XXIII. §. 3. *Coarctor ex duobus: desiderium habens dissolvi, & esse cum Christo. Multo enim melius permaneret in carne necessarium propter nos*). Hæc lectio est Ed. Gen. quæ similiter non adeò bene se habet. Ex ipso fonte locus hic purior, ut superius in ipso textu habetur, producitur. §. 4. *Sed & Spiritu meo in præcordiis meis de manè vigilabo ad te.*) Ed. Gen. *sed & Spiritus meus in præcordiis meis*. Minùs integrè. CAP. XXIV. §. 1. *Est enim judicium Dei desiderabile juxta illud &c.*) In Ed. Gen. inter 2. illas voces *desiderabile juxta* collocata apparebant illa verba: *inquit Dominus: Capere capiat. Et Apostolus*. Verumenimverò pensiuscule Autorem nostrum perlustrando animadverti, modo-recitata verba propriè pertinere ad c. 22. §. 74. quare hinc exemta, fundo suo genuino reddidi; atq; hoc pacto uterq; locus verum suum recuperavit sensum. §. 3. *De hac misericordiâ*) Ed. Gen. *Miseria*. Misera Syncope.

cope. §. 4. *Destruxisti eos ab emundatione*) Ed. Gen. *Emendatione.* Non æquè emendatè. §. 7. *In judiciis tuis superspèravi*) Sic legitur apud Vet. Bibl. Interpr. Ed. Gen. habet. *Semper spèravi.* CAP. XXV. §. 4. *Est itaq;* &c.) Ed. Gen. in primore voce destituebatur literâ sibilâ. Ib. *Audi eum, qui Veritas est: si quis diligit me, sermonem meum servabit. Item: Qui non diligit me, nec mandata custodit.*) Miserè trajecta hæc erant in Ed. Gen. h. m. *Item: Qui me non diligit, nec mandata custodit. Audi eum, qui veritas est: Si quis dil. m. s. m. s.* §. 5. *Mandatum quidem ad literam facit, at non secundùm mentem* &c.) Binæ illæ particulæ *At non* in Ed. Gen. disparuerant, quas tamen connexio orationis maximè requirebat. *Non inflatur*) Ed. Gen. pro verbo composito posuit simplex: ast incongruè. §. 7. *Obvenientis*) Hoc verbum efflagitabat textus, non *Obœdientis*; quod extat in Ed. Gen. §. 8. *Quam regenerationem*) In Ed. Gen. iterum vox simplex pro compositâ apparet. CAP. XXVI. §. 4. *Nos informat*) Ed. Gen. *Non inf.* Exiguus quidem nævus, sed satis informis. CAP. XXVIII. §. 2. *Quod B. Petrus insinuans dicit*) Ed. Gen. *infirmans.* Illa vox huc non facit; quocirca aut *confirmans* legendum, aut *insinuans*, quod ultimum vocabulum altero videtur accommodatius, quippe quod familiare est nostro Cassiodoro: utitur enim eo c. 1. §. 4. & alibi sæpius. §. 3 *In unitate Spiritus, fidei & baptismi*) Ed. Gen. *in un. Spiritus Dei & bapt.* Non adeò bene, ut ex dicto Biblico seq. paret. Ib. *Identitas voluntatum*) Ed. Gen. *Voluptatum.* Inconcinnè. Idem error hîc commissus est, qui supra c. 10. §. 11. §. 4. *Si distributio erat ibi* &c.) Ed. Gen.

Erat

Erat tibi. Pessimè extrema penultimæ dictionis litera appicta est fronti ultimæ etiam dictionis. §. 6. *Habet enim & sibi & aliis quicquid habet, imò alii amplius, minus sibi Intelligant* &c.) Hanc dispunctionem tandem erui post diligentem textus examinationem. Ed. Gen. *Imo alii amplius. Minus sibi intelligant* &c. Per quàm confusè & indistinctè. Ibid. *Quicunq; communicat donum, ei dabitur, & & abundabit; & sic verè habet id quod habet. Et verò, qui sic non habet* &c.) In Ed. Gen. Voculæ quarta np. *Ei* atq; XVta videl. *Et* inter se transmutatæ erant. Sed valdè incommodè. Cap. XXIX. §. 1. *Non communicat*) Particulam negativam malè hic excommunicasse videtur Ed. Gen. Ib. *Ponente contra se*) Duæ extremæ dictiones Veteri Bibl. Interp. acceptæ referendæ sunt. §. 2. *In sublimibus*) Ed. Gen. *Similibus.* Parùm verisimiliter. Cap XXX. §. 4. *Et gaudebit super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus*) Manca hèic est Ed. Gen. Defectum verborũ illorum *Super sponsam, & gaudebit* ex Ver. Bibl. Interpr. supplevi. Cap. XXXV. §. 4. *Flagellumq; correctionis impendimus, & præ inferioribus, sed post superiores vivendi subsidia indulgemus*) Rursus tetra se emergit dispunctio in Ed. Gen. quæ talis est: *Et præ inferioribus. Sed post superiores vivendi subsidia* &c. §. 5. *Gratia moralitatis acceptior*) Ed. Gen. *Mortalitatis.* Quid hèic gratiæ in mortalitate est? Vera videtur â nobis restituta vox, quippe quam nòster quoq; usurpat c. 45. §. 2. & 5. Cap. XXXVI. §. 7. *Ei soli obœdire*) Ed. Gen. *Et.* Eodem errore, quo supra c. 27. §. 8 Cap. XXIIX. §. 3 *Causationem & materiam sem.*) Ed. Gen. *Cautionem.* Syncope incauta. Cap. XL. §. 1. *A pastorum improb.*) Ab Ed. Gen. aberat præpositio. Inscitè. Cap. XLI. §. 6. *Naturalis*

turali compunctus affectu) Ed. Gen. *Naturalis.* Literula sibilans superflua. CAP. XLII. §. 3. *Solario*) Ed. Gen. *Solatio.* Improbe. CAP. XLIV. §. 2. *Beneficiumq; quod sibi vellet impendi, exhibens*) Ed. Gen *Beneficiumq; quod sibi vellet impendit exhibens.* Minus apte. Forte defendi hoc posset h. m., verbailla *Impendit exhibens* eodem modo sumi, quo apud Boeth 3. de cons. Phil. metr. 2. *stringit ligans* apud Val. Fl. 4. Argon. *in. Torquet agens*, apud eundem 6, 658. *Persequitur lustrans.* (vid. de hac loq. formulâ Weiz ad Val. Fl. 4, *in.* Gronov. not. in Liv. 1, 48. Lamb. in Lucr. 1, 1067. Linact. p. m. 125.) Verum eum non admittit series orationis. Idcirco retinenda videtur prior lectio. CAP. XLV. §. 3. *Movet*) Ed. Gen. *Movetur.* ubi duæ extremæ literæ superfluere videntur. CAP. XLVI. §. 2. *In svaviloquio non est fallacitas admittenda*) Ed. Gen. *Non est fluitas omittenda.* Ubi vix quicquam sani effluit. Aut E. prior lectio admittenda, aut hæc: *In suauiloquio fallacitas est omittenda.* Electio cuiq; libera esto. Porro *Fallacitas* scribendum esse, non *fluitas* ex antecedentibus (scil. ex iis *Veritas virtus*; *fallacitas vitium existimetur*) liquet. CAP. XLIX. §. 4. *Modestiam ignorantes suiq;* &c.) Ed. Gen. *Modestiam ignorante, suiq;* &c. ubi aut litera sibila neglecta, aut comma pro eâ substitutum. CAP. L. §. 2. *Quantò enim dignius*) Ed. Gen. *Indignius.* Superfluente præpositione privativa. §. 4. *Ratio moderatur*) Ed. Gen. *Oratio.* Male præfixâ literâ annulum referente. CAP. LI. §. 1. *Non hominibus, sed muneribus favent*) Ed. Gen. *Non omnibus.* Ex vitioso forte Monachorum scribendi more, qui vocem *hominibus* præcisâ adspiratione abbreviarunt ita: *ōibus.* CAP. LII §. 1. *Naturalis affectus quædam* &c.) Ed. Gen. *Natulis.*

Typo-

Typographicus procul dubio erratus· §. 6. *Quod jucundum, apprehendit; Quod verò aridum* &c.) Verbo, quod heic in ordine tertium est, vacat Ed. Gen. quod tamen aut ejus simile textus desiderare videtur §. 8· *Concupiscentia carnis est aut concupisc. oc.* &c.) In Ed. Gen. pessimè evanuêre tres primores voces, quæ ex Vet. Bibl. Interp. superinductæ sunt. Cap. LIV. §. 5. *Unus affectus in al.*) Ed. Gē. *Effectus.* Lapsus excusabilis. Cap. LV. §. 1. *Ne ab inferiore affectu superior & excellentior expellatur*) Ed. Gen. *Ne ab interiore aff. sup. & exc. appellatur.* Non adeo probè. §. 3. *Rationali affectu*) Ed. Gen. *Rationalis affectu.* Mens Autoris nostri non admittit literam finalem serpentinam in primore nomine. Ib. *Quô David morti &c.*) Ed. Gen. *Quòd.* Literâ extimâ incompositè adjutâ. Cap. LVI. §. 5. *En calix*) Ed. Gen. *Ex calix.* Vitium, ut videtur, Typographicum. Ibid. *Jeremiam*) Ed. Gen. *Jesaiam.* Malè: nam in illius Threnis exstat dictum illud. Cap· LVII. §. 2. *Sponsus super sponsam*) Ed. *Sponsus per Sponsi.* Nævus non adeo grandis, cui fortè occasionem dedit syllaba finalis præcedentis nominis. §. 7. *Ille nimirum, qui dicit: Ego flos campi & lilium convallium; terram carnis vestræ, quæ sub maledicto veteri spinas & tribulos germinabat, resurgens â mortuis, reflorescere fecit.*) Hæc supra modum corrupta sunt in Ed. Gen. quæ ita habet: *Ille nim. qui dicit: Ego etc. convallium. Terra carnis vestræ, quæ sub m.* &c. Cap. LIIX. §. 2. *Sit Longitudo* &c.) Ed. Gen. *Sic long.* Ib. *Coaptat*) Ed. Gen. *Cooptat.* Utrobiq; minus rectè. §. 7. *Coarctemur*) Ed. Gen. *Coarctemus.* Literâ serpentinâ pro caninâ subjectâ. Prior lectio sanior videtur.

Hæc

Hæc fuere, quæ in dictâ Editione Genevensi animadvertenda duxi. Reliqua leviora & tolerabiliora Sphalmata animadversione vix digna censui, qualia sunt: Prol. §. 7. *Aboleſcet* pro *Aboleſſet*. §. 23. *Tollerantia* pro *Tolerantia*. §. 24. *Leni* pro *Levi*. §. 26. *Pilades & Horeſtes* pro *Pylades & Oreſtes*. §. 49. (ut c. 10: §. 9.) *Diſcolos* pro *Dyſcolos*. §. 62. *Berzabai Galaatides* pro *Berzalai Galaadites*. §. 74. *Quoddam* pro *Quodam*. §. 82. *Providit* pro *Prævidit*. Cap. 1. §. 5. *Vite* pro *Vitâ*. Cap. 2. §. 1. *Proſus* pro *Prorſus*. Cap. 3. §. 12. *Deſperando* pro *Deſperanda*. Cap. 4. §. 7. *Poteſt* pro *Potes*. Cap. 5 § 12. *Medecinam* pro *Medicinam*. Cap. 8. §. 3. *Quod* pro *Quo*. Cap. 12. §. 9. *Ego* pro *Ergo*. Cap. 16. §. 9. *Nubicula* pro *Nubecula*. Cap. 17. §. 3. *Conſumatio* pro *Conſummatio*. §. 6. *Nobismetipſis* pro *Vobismetipſis*. Cap. 19. §. 5. *Circuitum* pro *Circuitus*. Cap. 21. §. 6. *Acuſationis* pro *Accuſationis*. §. 14. *Quia* pro *Quàm*. §. 24. *Animæ* pro *Anima*. Cap. 22. §. 3. *Sic* pro *Hoc*. §. 4 *Tranquillas* pro *Tranquillitas*. §. 7. *Vires* pro *Vices*. §. 18. *Ipſe* pro *Ipſa*. §. 29. *Numerum* pro *Munerum*. §. 32. *Excellentoria* pro *Excellentiora*. §. 40. *Audit* pro *Audivit*. §. 44. *Propenere* pro *Præponere*. §. 45. *Temporali* pro *Temporalis*. §. 51. *Se non* pro *Tenon*. §. 63. *Polimitâ* pro *Polymitâ*. §. 65. *Tranſeat* pro *Tranſeas*. §. 69. *Mavis* pro *Magis*. §. 82. *Vobiscum* pro *Nobiſcum*. Cap. 42. §. *Iuteritum* pro *Interitum*. Cap. 43. §. 3. *Defæcavius* pro *Defæcatius*. Cap. 48. §, 1. *Invincem* pro *Invicem*. Cap. 54. §. 1. *Cæpit* pro *Cepit*. Cap. 58. §. 10. *Dulcido* pro *Dulcedo*. Si quæ alia adhuc ſuperſunt, ut fortè non deerunt, quæ aciem oculorum meorum fugerunt

gerunt, prætermissionem meam deprecabitur humana conditio, non ferens, ut omnia ab uno penetrentur. Ivi quò potui: quò non potui, censuram suspendi. Igitur, ut in frontispicio harum animadversionum dixi, iis locis, quæ mihi imperveſtigabilia ob defectum aliorum subsidiorum occurrerunt, obeliscum appinxi, ut statim cuivis eo melius in oculum incurrere possent, neve inquisitio locorum spinosorum lectorem moraretur. Nec præterea adeo pertinax sum, ut mordicus his animadversionibus inhærere velim. Certè si quis saniora & verisimiliora iis in medium protulerit, lubenti & gratanti animo ipsi cedam, & illa, in quibus humani quid, quod à me non alienum puto, passus sum, indicta volo.

Δράγμα Selectiorum, ex Cassiodoranâ copiosissimâ de Amicitia & Amore farragine.

Prior numerus denotat capita, posterior paragraphos.

A

ABel *esse non potest, quem Cain malitia non exercet.* 32, 7. Refert inter proverbiales locutiones â Petro Blesensi usurpatas Joh. Busæus. Utitur dictus Petrus epist. 80. & 87. Gregor. l. 9. c. 39. Cassiodori nostri locum omittit *Busæus* in Ind. Proverb. â Petro relatorum: Unde videre est, eum non vidisse hunc Cassiodori tractatum. *Abhorrenda colluvio.* 21, 10.

Abolêſſet pro *Aboleviſſet* prol. 7. Sic *Promôſſet* pro *Promoviſſet* Ovid. 2. Am. 9. *Summôſſet* pro *Summoviſſet* Hor. 1. Sat. 9. v. 48. *Accéſſet* pro *Acceſsiſſet* Varro apud Non. c. 2. §. 212. *Impleſſet* pro *Impleviſſet* Ovid. 9. met. Præter hæc plurium craſeos ejusmodi exemplorum congeriem invenies apud *Voſſ.* lib. 5. art. Gramm. c. 19. p. m. 76. & c. 42. in Addend. ad pag. 148.

Abſalon 2, 12, Sic non optime dici pro *Abſalom* ſ. *Abſalomus*, probat *Voſſ.* 1. de Vit. L. L. c. 10. p. m. 43.

Accedentius conſentanea cupiditati amicitia. Pr. 61.

Acquieſco ſuſcipere nihil. Pr. 62.

Adaequiſitivus. 17, 8.

Adinventio. 21, 8. 34, 2. Vox veteri Bibl. Interpreti non inuſitata.

Adminatio, Comminatio 5, 9. Dicitur etiam *Interminatio*. l. 2. C. de off. mil. jud. l. f. C. ſi nupt. ex reſcr. pet.

Adverſio, adverſitas. *Ipſe pius & miſericors gratuitâ benignitate tuæ adverſioni compatiens.* 22, 55. *Simulator tempore averſionis meditabitur dolum.* 12, 9. Dubium, utrum his 2. locis *Adverſio* an *Averſio* locum habeat. Potior admodùm ultima videtur, quandoquidem uterq; locus de Apoſtaſiâ & defectione loquitur; quanquam nec altera vox quicquam abſurditatis textui inferat. Cæterùm æquè dubia lectio occurrit in illâ locutione, quam Fr. Conanus lib. 7. com. jur. civ. c. 10. n. 6. ſolis JCtis uſurpari ſolitam, cæteris v. omnibus L. L. Autoribus inuſitatam tradit, *Averſione* ſ. *Adverſione emere, vendere*, (quod Germanis & Saxonibus ſuperioribus eſt durch die Banck / Saxonibus verò inferioribus & Noſtratibus im ſchlump oder im Sack verkauffen) ubi Dd. mirum quantum

ſe

se torsêre: ut præ cæteris videre est apud *Calvin.* in Lex. jur. sub voce *Aversio.* Sic *Fortuna* minùs secunda, oppositaq; Respicienti, dicitur *Aversa* & *Adversa*: ubi tamen nonnulla apparet differitas, ut illa sit, quæ vultum averterit; hæc, quæ adversùm s. contra it. Cæterùm quid *Transactio per aversionem facta* sit, proh dolor! sæpenumerò magno suo cum damno docentur inter alias miserabiles personas Pupilli, dum talibus cum tutoribus, qui bona pupillaria curârunt & amârunt, non pupillos, die es mit ihnen nicht gut/ sondern das gut gemeinet/ (qualibus mactatus est Octavianus, post Augustus *Imp.* salutatus, ut refert Nicol. Damascenus in Excerpt. Peiresc. pag. 472.) meriti audire potius tollitores & tortores, (quorũ ἡγεμόνων ἐναγῶν λεηλασίαν pingit & pungit *Imper.* in Novell. 72. præf.) ubi illorum ætas ex horum excesit magisterio, remotis inventario & rationibus, ad majus malum declinandum, per aversionem transigere coguntur.

Affectare, desiderare. Ἐκ τῶν μέσων est. *Affectare Deum.* 41, 1. *Virtutes* 22, 50. *amplexus illicitos* 22, 57. *Affecto amare Deum* 1, 1. Sic l. 1. §. 1. ff. de J. & J. *Veram nî fallor Philosophiam non falsam affectantes:* (ubi tamen nonnulli legunt *Affectantes*; quæ vox hoc in loco quà significationem cum altera coincidit, & itidem media est, ut patet ex *Festo*, qui dicit: *Affectata fœmina* vel in bonam partem dicitur, velut honorata; vel in malam, quasi in extremum piaculum adducta) Colum. R. R. præf. *Summum culmen affectantes satis honestè vel in secundo fastigio conspiciamur. Affectuosus*, affectu plenus. Vocabulum non infrequens Nostro. *Affectuosa dilectio* 47, 3. *salutatio* 5. var. 2. *petitio* 11. var. 3. *Affectuosum studium* 3. var. 4.

Affectuoso fine concludere textum epistolæ 11. var. 3. *Affectuosum est ei miscere sermonem cum paribus* 8. var. 3. *Affectuosè, affectuosiùs diligere* 22. 73. & 46. *tractare* 8. var. 1. *dicere* 3. var. 4. *discere.* 8. var. 12 *affectuosissimè diligere.* P. Bl. epl. 25. vid. *Voss.* 3. de vit. L. L. c. 1. p. m. 352.

Alienigena virgo 40, 1. *vinum* Gell. 2, 24. Sic *Indigena vinum* Plin. 14. H. N. 6. *ubertas* Noster 11. var. 29. *Ruricola arator* Ovid. 4. trist. 6. vid. *Voss.* 3. de art. Gram. 15. p. m. 63.

Alumnus (modò non scriptura mentiatur, & pro eo legendum sit *Alienus*, ut legitur apud *P.* Blesi. epist. 92. ceu videre est in Animadvers. ad seq. loc.) Insititius, Peregrinus, Extraneus. Prol. 7. Contrarium ejus *Nativus, Verna, Domesticus, Inquilinus*; quibus accedere videtur *Agrestis* apud Nostrum 6. var. 14. & *Germanus* 12. var. 4.

Amarissima aqua 22, 12. *Amarissima amaritudo* P. Blesi. ep. 9. 44.

Ambiguosa exspectatio. Prol. 43.

Amicabiliter indulgere freundlich zu guth halten. 3, 6. *convenire cum aliquo.* cap. 3. x de arbitr. vid. *Voss.* de V. L. L. p. m. 770.

Amodò, posthac, ab hoc tempore. 30, 2. Offenditur aliquoties in LL. Wisigoth. ut & in Vulg. Bibl. Vers. vid. *Voss.* de V. L. L. p. m. 770.

Ancillari, servire. 21, 23. *Ancillatus*, servitus. *Ancillatum petere.* 22, 26.

Annulo fidei subarrhare quem. 22, 62. Similiter loquitur Ambros. de pass. Agnet. Hieron. de laud. virgin. pro eo dicit: *Sponsaliorum pignoribus subarrhare quem.* Plura ad hanc paratur am spectantia vid. in Disp. meâ inaug. de Impens. Dot. Fun. & Lit. habitâ hîc 1660. Th. 11. *De annulis*

nulus in genere perfectos commentarios edidère *Joh. Kirchman.* primùm in hoc noſtro Athenæo Prof. P., deinde Lycei Lubec. Rector, & *Fortun. Licetus* Genevenſis, in Patav. Lyceo Phyſiologus ordinarius, qui præter hunc & alios tam Medicos quàm Philologicos tractatus etiam edidit *Encyclopædiam in Aram Pythiam Publilij Optatiani Porphyrii. Patav. 1630.* 4. Plures autores de materiâ illâ invenies apud *Joh. Bechtold.* in Sylloge mater. jur. voce Annulus.

Appetitiva rerum vis. Pr. 5. *dilectio.* 36, 2.

Appropriare, proprium faeere, ſibi vindicare. 58. 9. Matth. Vindoc. in Tob. c. 4. *Heu quid opes opibus cumulas, quid propria quæris, cùm ſe nemo queat appropriare ſibi?* v. *Voſſ.* de V. L. L. p. m. 99. 655.

Approximari Deo Prol. 39.

Arida i. e. terra. 22, 6. Sæpius occurrit hæc vox apud Vet. Bibl. Interp.

Averſio. vid. *Adverſio.*

B.

Beatificare, beatum facere. 12, 8. Ex vet. Bibl. Interpr. v. *Voſſ.* de V. L. L. p. m. 659.

Belluinus impetus 21, 4. *Belluini mores* 9, 14.

Beneplacitum 22, 3. 56, 1. 58, 7.

Beſtialis motus 21, 4. *crudelitas* 35. 3. *Beſtiale deſiderium* 27, 15. P. Bl. Epiſt. 23. *Hodiè per fas & nefas, hodie in animæ corporisq; diſcrimine currunt infelices ad cathedram paſtoralem, nec attendunt, quòd ſit eis cathedra peſtilentiæ, dum ſibi & aliis ſunt cauſa ruinæ. In gregibus & armentis, teſte Hieronymo, aries & taurus corpore & animoſitate præſtantior alios antecedit: homo. v. beſtiis omnibus beſtialior*

tantò indiscretius & audacius melioribus anteesse præsumit, quantò minus de virtutum titulis ac conscientiæ sinceritate confidit. Sic Anastas. in Exil. S. Martin. *Nomine quidem milites, lupaces* (luporum instar rapaces) *autem & bestiales sententiâ.* v. Voss. de V. L. L. p. m. 363.

Blasphemare, Exsecrare. Classicis ignotum, Theologis vero & JCtis atq; aliis crebrum esse tradit Voss. d. l. p. m. 659. *Blasphemare flagella Dei.* 24. 4. Matth. Vindoc. in Tob. c. 4. *Nubat honos oneri, nec onus blasphemet honoris Præsidium, nec honor diffiteatur onus.*

Bravium pro *Brabéum*, βράβειον. Ex perversâ Græcarum literarum mutæ B, & diphthongi Ει, pronunciatione. 19, 2. P. Bles. epist. 36. *Ad palmam & bravium animosius curras.* Id. ep. 22. *Cùm omnes virtutes currant ad bravium, sola perseverantia coronatur.* Prudent. περὶ στεφ. 2, 538. *Solus bravii duplicis* Matth. Vindoc. in Tob. c. 4. *Fac, ut ameris: ama, quos fructus amoris amicos Prædicat, & bravio dignus amoris amor.* Sic *Nymphium* pro *Nympheum*, *Lycium* pro *Lyceum*, *Topium* pro *Topeum*, (unde *ars Topiaria*), *Prytanium* pro *Prytaneum*, *Gynæcium* pro *Gynæceum*; *Musium* (& *Musivum*, unde *Musivarium opus* l. 3. C. Th. de excus. artif., quæ est una ex 3. Incrustationis speciebus: de quibus conf. d. Disp. de Impens. D. 7.) pro *Museum*, & id genus alia dixere: ut docet *Salmas. ad Spartian. & Capitol.* adde & *Voss.* de V. L. L. p. m. 48. Sic itidem corrupte legitur *Actidia* pro *Acedia*, ἀκηδία, ubi tamen I pro H positum est, utiin voce plurimis hymnis annexâ Ἐλέησον, quæ adeò malè profertur à plerisq;, ut pro *Eleeson* aut *Elēison* crassâ

crasei-

crasi *Eleison*, (& crassiore apocope *Eleis*) canant, dantes sine mente sonum, ut notat suo modo *Voss.* de V. L. p. m. 350.

C.

Captivare, captivum abducere. *Captivatur animus.* pr. 56. *Captivare affectus* Augustin. manual. c. 18. Hinc *Captivator.* Wimphel. catal. Episc. Argent. in vitâ Bertold. II. *Contra sacrilegos captivatores censurarum gladio processit.* v. *Voss.* d. l. p. m. 662.

Caussale efficiens rerum 18, 3.

Caussatio & materia. 38, 3. Aliter hanc vocem usurpat Pallad. 1. R. R. 4. np. pro excusatione, Vorwenden. Indè *Causaria missio*, quæ fiebat ob causam s. morbum & senectam. l. 13. §. 3. de re mil. l. 3. §. missionum. de his qui not. inf. Plura de voce *Causarius* vid. apud *Salmas.* ad Spartian. in Hadrian.

Coæqualitas 58, 3. *Coæternus* 22, 66.

Coäptare quid alicui pr. 51. 58, 2.

Coësse, simul esse 33, 1. v. Voss. d. l. p. m. 667.

Coëxultare. 58, 9.

Cohumiliare, similem facere in humilitate 9, 4.

Coinfirmari infirmis. Prol. 24.

Collateralis, qui est à latere. *Collaterales essentiâ* (np. Adam & Eva) 1, 5. Utitur eâ voce etiam Matth. Vindoc. in Tob. c. 2. *Sic tentat famulos Deus, ut patientia præflet Exemplum quasi sol collaterale jubar.* Id. 1. 4. *Spiritus expugnat carnem, ne Sponsa maritum Lædat & infligat collaterale malum.* Id. ib. *Sic des pro modulo census, ne prodiga dandi Virtus in vitium collaterale ruat.* Hæc vox JCtis modernis satis trita in jure ipso non reperitur, sed

aliis exprimitur verbis. *Collateralis* ibi dicitur *latere conjunctus* l. 1. pr. *A latere veniens §. 2.* C. de Nat. lib. *Ex latere cognatus*, l. 10. §. *8. ex transverso* l. 1. pr. ff. de grad. & affin. v. *Voss.* d. l. p. m. *388.*
Commensurabilis proportio. pr. *5.*
Communicare doloribus, honoribus alicujus. pr. *65.*
Compati. Compassio. mitleyden. 10, *9.* Pr. *23.* & *49. 12,9.26, 17. 31, 1* & *2. 33, 17. 41, 6. 53, 3.* Vox etiam Matthæo Vindoc. in Tob. perfamiliaris. v. *Voss.* d. l. p. m. *393.667.*
Compassibilior 30, 1.
Competentior habitus 42, *1. ornatus* 22, 39.
Complantare in ordinem plantaria. prol. 8. Pro quo Virg. 1. Ecl. *73. Vites ordine ponere.* Quintil. 8, 3. *in ordinem certaq; intervalla redigere arbores.*
Compromissum fidei rumpere. 9, 8.
Compugnare 55, 2. *Compungi affectu* 41, 6.
Concupiscibilis pr. *58.* 47, *3.*
Condescendere alicui. pr. *33.* & *49.* 8, 2. 18, 1. v. *Voss.* d. l. p. m. *669.*
Condolere Prol. 1. 27, 1. Item de anim. c. *4. 5.* Matth. Vindoc. in Tob. c. 1 & 2. v. *Voss.* d. l. p. m. 154.
Conflatorium ein schmeltzofen. *5, 5.*
Conformis dimensio 58, 5.
Confortare. 39, 1. v. *Voss.* d. l. p. m. *669.*
Confusibilis color. 3, 19. *58,* 4.
Congaudere gaudentibus. 10, *9.* Sic 8. var. 31. *Pallas non minimâ largitate congaudet.* v. *Voss.* d. l. p. m. *669.*
Congloriari testimonio conscientiæ. pr. *2.*
Conquadrare animum suum 49, 4. Varr. apud Non. c. *2.* §. 481. *Later, quod conquadravit religio.* Colum. 9, R. R. 3 *Conquadrata pertica.*
Constitutio, i. e. creatio *mundi. 16, 2.* Con-

Contrarietas 52, 2. Sic. lib. de an. c. 8. *Anima non corrumpitur â contrarietate originali.* Macrob. 1. in Somn. Scip. 6. *In varii motus contrarietatem retortæ sunt.*

Contritio, supplantatio, oppressio. 21. 2.

Convenientiam commodare alicui. 10, 1.

Cooperari. pr. 81. 22, 5. Hinc *Cooperatio. Cooperatione vitiorum contaminare amicitiam.* 2, 14.

Corporaliter, 50, 1. *Ubi sunt Sacramenta, quæ patri tuo coram nobis corporaliter præstitisti?* P. Bl. ep. 47.

Corridere alicui, pr. 6. Lucr.

Criminator, calumniator. 5, 11. *Criminosè arguere quem* P. Bl. ep. 45.

Crucifixor, qui crucifigit. 32, 6.

D.

Damnabilis amplexus. 43. 3. *lapsus* 23, 58. *præsumtio* 13, 2. *Damnabile obsequium* 12, 2. *Damnabiles deliciæ* 21, 22. *Damnabilis verborum procacitas.* P. Bl. ep. 40. *Damnabiliter miser* 8, 1. *Salute animâ spretâ se damnabiliter sæcularibus involvere.* P. Bl. ep. 42.

Damnatißima i. e. ignominiosissima *mors* 22, 59. *Clericorum Curialium vita* P. Bl. epist. 5. *villicatio* Id. ep. 5. *nox* Id. ep. 52. *Damnatißimus Episcopus* Id. ep. 46.

Debellatrix luxuriæ potentißima, crux Christi 21, 9. *Debellatrix generis humani podagra.* 10. var. 29. *Depopulatrix generis humani luxuria.* 11. var. 3.

Decolorare. Vitii nævus mores ejus commendabiles decolorat. 3, 4.

Degeneratur amor cupiditate 2, 6. Pro quo mox dicit: *Depravat amorem cupiditas* 2, 11.

Dehoneſtare aliquem 22, 25. 26, 7. P. Bl. ep. 53.
Deificare, Deum vel divinum facere. *Deificatum Sabbatum* 58. 10. v. *Voſſ.* d. l. p. m. 675.
Delectabilis. Prol. 58. 36, 3. 56, 3. *Delectabili cibo venenum boletorum infuſum.* Tac. 12. ann. *Delectabiliter diligere* 22, 47. *Delectabiliter ac decorè depingere quid.* Gell. 11. N. A. 23. Adverbium hoc à *Voſſio* d. l. p. m. 774. reprobatum, cum ſuo adjectivo, à barbarie aliquo modo adſeruit *Ol. Borrichius* diſp. de Lexic. Latin. jejunit.
Delegare, Alium debitorem ſubſtituere. 22, 25. 26, 7. Vox in jure noſtro ſæpius obvia, præprimis tit. ff. de novat. & delegat.
Deluſorio, qui vim deludendi habet. *Deluſoria felicitas* 21, 3.
Dementatus demens factus. 19, 1.
Deſiderabilius diffundere ſe ad intelligentiam 18, 1.
Deſideranter aſpirare 19, 7. *expetere* 1. var. 4. 10. var. 32.
Deſtructio 16, 7. *Voſſius* d. l. p. m. 407. hanc vocem impugnat; propugnat *Sciopp.* animadv. in Voſſ. p. m. 5.
Detractio, occulta calumnia 4, 5. alibi *plaga doloſa* 3, 7. 8, 13. *Multorum contra vos odium provocatis, dum non cohibetis ſpiritum, dum labia incircumciſa in ſuſurrium & detractionem illicitè relaxatis.* P. Bl. ep. 40. *Detractor*, calumniator. prol. 6. & 69. Alibi *Derogator* lib. de div. lect. c. 21.
Devotus, religioſus, profeſſus. Cenſetur à *Voſſio* d. l. p. m. 143. inter eas voces, in quibus à Theologis plurimis recedi ſolet à puritate dictionis Romanæ. Occurrit ſæpius apud Noſtrum tam hîc quàm alibi. *Devota oratio* 16, 14. *obſequela* 36, 7. *Devotio ſancta* 16, 14. *Devotione accendere cor.* 39, 1. *Devotione colere quem* 3, 1. *ſuſcipere quem* 40, 2. *tenere*

2. *tenere affectus fixos in Deo.* 22, 80. *Devotè diligere* 22, 63. *supplicare* 33, 3. *Devotius amplecti quem* 4, 12.

Differentius, majori cum differentiâ. 22, 47. 32, 4. *Differenter congruentia inseruimus.* Solin. præfat.

Dignanter, animo benigno, nec munusculum, ut se indignum, aspernanti. Exemplis, quæ *Vossius* d. l. p. m. 775. ex Cineardo, & *Ol. Borrich* d. l. ex Vopisco in Tacit. Sidon. 4. epist. 7. Symmach. 5. ep. 6. adducunt, addantur hæc. Noster hîc *56, 3. Dignanter accedere.* Id. 8. var. 5. *Divinitas majores nostros dignanter adjuvit.* P. Bl. ep. 42. *Pastorale munus dedignanter accipiens.*

Dilatare, extendere. *Dilatari possessionibus* 9, 1. *Dilatare actum & iter* l. 3. §. 15. ff. de itin. act. *rivum* l. 1. §. f. ff. de riv. *aquam* l. 1. §. 15. ff. de flum. Hinc *Dilatator.* Noster lib. de div. lect. c. 2. *B. Hieronymus Lat. Linguæ dilatator eximius.*

Dispensatorius 12, 10. 41, 4. *Dissimulatorius* 12, 10. *Districtissimè, i. e.* severissimè *exigere.* 22, 8.

Dormitio. Hoc vocabulum, ut & *Dormitor*, vix in Lexicis reperitur. Interim non adeo mali commatis sunt. Priori non tantùm Noster hîc 22, 16. Sed & Varro apud Non. c. 2. §. 239. *Quid mihi cum somno, si mihi dormitio tollitur?* Id Satyr. quæ inscribitur *Sexagesis* (in fragm. Varron. ab Auss. Popm. edit.) *O stulta nostri pectoris dormitio! Dum hoc in somnis agerem, & inanis caperem delicias visionis, ad matutinas pulsatum &c. & abstulit campanarum improbitas, quod beata dormitio conferebat.* P. Bl. ep. 30. Posteriori Martialis 10, 4. *Quid tibi dormitor proderit Endymion? Mors, per quam mirificavit Dominus Sanctum suum, non est mors, sed dormitio.* P. Bl. ep. 27.

Dysco-

Dyscolus, perversus, wunderlich / δύσκολος. prol. 49. 10, 9.

E.

Emansor, der außbleibet. 22, 26. Propriè de milite dicitur l. 3. §. 2. ff. de re mil. qui & *Remansor* der zurück bleibet l. 4. §. 13. l. 5. §. 6. eod. Idem ferè facit cum *Desertore*, der außreisset: nisi quòd illius delictum non æquè grave sit ac hujus. l. 4. §. 14. eod.

Emersus, qui emersit. Passivè. *Emersus alterius utrubiq; profectus* prol. 63. Sic Cic. in Vatin. *E cœno emersus*. Et sæpe alibi. l. 8. C. ad leg. Fab. *Emersa dominii lux*. v. *Voss.* 6. Gram. 13. p. m. 300.

Eminenter, excellenter. *Eminentius mereri*. 32, 4.

Enormitas criminis. 3, 4. *reatus*. 15, 2. *donationis* l. 4. C. de inoff. don. *impendii* l. 21. C. Th. de prætor. & quæst. *exactionis Palatinæ*. Nov. Th. & Val. 1. de Palat.

Erratus, ûs. 6, 2. v. *Voss.* de V. L. L. p. m. 421.

Erubescibilis, pudorem faciens. *Erubescibilius nihil*. 21, 5.

Erubescentia, pudor. P. Bl. ep. 35. *In amissione pudicitiæ voluptatem virgines fatuæ suspicantur: cum amitti non possit sine erubescentia & dolore*. P. Bl. ep. 35.

Essentialiter. 22, 7.

Evacuare suspicionem dilectione 4, 12 *alvum*. Plin. *dolium* l. 1. §. f. de per. & com. *obligationem* l. 4. C. de solution.

Evaporare, per vaporem emittere. Nec hanc vocem facilè in Lexicis invenies. Est tamen genuina, ut mox apparebit. *Evaporare alicui sinum conscientiæ, solatium aut aliquid de molestiis* prol. 30. *Evaporavit olim calor per tempora* Solin. c. 9. *Evaporat Spiritus nocens* Pallad. 10, 9. *Montes fœtorem sulphureum evaporant* P. Bl. ep. 46.

Exem-

Exemplaris evidentia 35, 2. Quid *Exemplaris substitutio* in jure sit, docent Interpretes ad §. 1. I. de pup. substit. l. 43. ff. de vulgar. l. 9. C. de impub. subst.

Exheredator, qui privat aliquem hereditate. 9, 5.

Exigentia meriti 22, 39. 35, 1. 58, 7. P. Bl. ep. 38.

Exorare pro aliquo. 32, 16.

Exorbitare 47, 3. In LL. Visigoth. l. 15. de nonnull. legit. Judæor. pro eo reperitur *Aborbitare*.

in Experientiæ libro legimus. 22, 78. Proverbialis locutio audit *Joh. Busæo*. Utitur eâ etiam P. Bl. ep. 5. 22. 66. serm. 6. de adscens. Dom.

Expressior similitudo 22, 37. *Expressius exhibere*. 12, 59.

Exsufflare, extinguere. *Exsufflare amicitiam*. pr, 22. Eodem verbo utitur etiam Petrus Blesi. Cassiodori, si non compilator, certè imitator, ep. 9. *Miser, quicquid longo tractu temporis didicisti, biennale otium exsufflabit, & illa Logices ventosa loquacitas, quâ tumescis, sicut visio nocturna & sicut somnium avolabit*. v. *Voss*. d. l. p. m. 685. 700. De *Exsufflatione* in baptismo solemni, conf. *Jos. Arnd.* (Ex Prof. Rostoch. nunc Serenissimo Duci Mechl. à Concion. & Consil. sacr.) tr. de Superst. c. 3. §. 44.

Extollentia intumescere. 21, 6. *Declinare faciem cum fastuosa oculorum extollentia*. P. Bl. ep. 21.

Exuberanter, *abundanter*. *Exuberantissimè respondere*. 25, 3.

F.

Fallacitas, fallacia 46, 3.

Famulatoriè serviliter, famuli more. *Famulatoriè amare* 5, 5.

Favorabilis color. 8, 2. *Favorabilior usus libertatis* §. 34. *J. de legat.*

Feriatio, 21, 18.

Fiducialiter, cum fiduciâ. 22, 16. v. *Voss.* d. l. p. m. 777. cujus exemplis adjungantur insuper ista. Noster 8. var. 31. *Mortalium penatibus Philomela fiducialiter suspendit* Hieron. 1. advers. Pelag. *Fiducialiter corripere peccantes. Finaliter*, quod spectat finem. *Finaliter dirigere intentionem suam ad quid.* 19, 3. *Finaliter perseverare* 58, 6. v. *Voss.* d. l. p. m. 777.

Fixura vestigium, ubi quid fixum est. *Fixura clavorum* 22, 28. Augustin. medit. c. 41. *Non sum deosculatus loca vulnerum, fixuram clavorum.*

G.

Gehennalis, infernalis. *Gehennale incendium* 22, 38. *Gehennales pœnæ.* 24, 4.

Gratanter, gratâ mente. Pr. 29. Id. 1. var. 1. & 4. 2. var. 20. 5. var. 15. 11. var. 1. & alibi. v. *Voss.* d. l. p. m. 778. & *Borrich.* d. l.

Gratificatur adsentatione divitibus â multis den Reichen sprechen viel nach dem Maul oder thun ihnen sonst was zu willen. 6, 2. Modum hunc loq. admodum exprimit Idem 1. var. 2. (in quâ epistolâ, nomine Theoderici Westgoth. in Ital. Regis, ut ipsemet in præfat. fatetur, ad semetipsum scriptâ, ut & seq., nimium sibi tribuere videtur, atq; idem in iis judicium meretur, quod Maximilianus I. Imp. de Jul. Cæsaris commentariis tulit, *illum tersè quidem & eleganter, sed de seipso scripsisse*) his verbis: *Quid majus quæritur, quàm hîc inveniſſe laudum*

dum testimonia, ubi gratificatio non potest esse suspecta Regnantis quippe sententia judicium de solis actibus sumit, nec blandiri dignatur animus, dominii potestate munitus.

H.

Hilarescere, hilarem fieri. 56, 2. Varr. apud Non, c. 2. § 404.

Honorificare, honorare. 8, 2.

Horrificus) (*Gratiosus*. 45, 5.

Humiliare, humilem facere. 8, 4. v. *Voss.* d. l. p. m. 691.

I.

Identitas, paritas. *Identitas voluntatum.* 38, 3. *Vos me alterum reputarem, si tanta posset esse identitas corporum, quanta est singularitas voluntatum.* P. Bl. ep. 32. *Sicut nos duo sumus conformes in votis: Sic & decet, ut identitas sit in nostris operibus & in verbis* Id. ep. 43. v. *Voss.* d. l. p. m. 449.

Illectrix, Illex. *Illectrix caro.* 21, 23

Imaginaliter, secundum imaginem. *Imaginaliter exprimere* 22, 37.

Immarcessibilis, marcori non obnoxius. *Immarcessibilis hereditas* 21, 22. *corona.* P. Bl. ep. 20. *justitiæ manipulus* Id. ep. 23.

Immoderatior actus 49, 4.

Immunditia, sordes. 21. 3. 8. 9. & 21. 22, 62.

Immutabiliter, ut mutari nequeat. 22, 4. 18, 2.

Impermutabilis qui permutari nequit. 22, 2.

Imperturbabilis, qui perturbari nequit 22, 9.

Impinguare, pinguem reddere. *Impinguatur amicitia deliciis.* 8, 2. *Impinguat caput oleum.* 12, 9. Matth. Vindoc. in Tob. c. 4. *Non caput impinguet oleum peccantis &*

aure s

aures siquis adulator lactat, omitte fidem. Augustin. manual. c. 19. *Qui diligit, oculos suos habet ad Deum, --- in quo impinguatur.*

Improperium, convitium. ein höniſch vorwerffen. 2, 7. 8. 10. 4, *i.* 2. 9, *ii.* 57, 8. v. *Voſſ.* d. l. p. m. 451. ubi promittit, ſe poſt etiam acturum de verbo: verùm id non apparet ſuo loco. *Improperare*, convitiari. 4, 2. 10, 2. 22, 59.

Imputribilis, putredini non obnoxius. 35, 2. Eſ. 40, 20.

Inaccesſibilis, ad quem acceſſus non datur. *Inaccesſibilis lux.* 26, 5. *Inaccesſibile lumen.* de anim. c. 10. *Inaccesſibilia profunda ſecreti judiciorum incomprehenſibilium ſapientiæ DEI.* Auguſt. ſoliloq. c. 28.

Inæſtimabiliter, ut æſtimari nequeat. 18, 1. 22, 32.

Incarnatio, ἐνσάρκωσις. 12, 3. Vox Theologis uſitatiſſima, ubi de Chriſti in carnem adventu ſermo.

Incentivus, qui incendit vel illicit. 21, 23. 37, 3. 43, 3.

Inceſſanter, indeſinenter 21, 3. 22. 43. Sic 12. var. 12. l. 10. C. de aquæd. Ex his elucet, non adeò barbarum eſſe hoc adverbium, ut id defotmat *Voſſ.* d. l. p. m. 781. Utitur etiam eo Autor *epiſtolæ*, quæ fertur nomine C. *Antonii COS. ad Q. Soranum, de incontinentiâ libidinis Cleopatræ Reginæ*, editæ â Gaſp. Scioppio A. C. 1606. cum Priapeis, p. m 167. *Ne talem habeam, tuo opere, tuo auxilio promereri inceſſanter poſtulo.*

Incommutabilis, immutabilis. *Incommutabile eſſe.* prol. 80. *bonum* 2, 2. *Incommutabilitas* Boëth. 4. de conſol. phil. 6, 26. *Incommutabiliter bonus.* prol. 82.

Incomparabiliter, ut nil ei comparari poſſit. 22, 49. & 60. P. Bl. ep. 46.

Incorrigibilis, qui corrigi nequit 13, 1. *pertinacia*. P. Bl. ep. 2.
Incorruptibilis, corruptioni non obnoxius. 21, 22. 9. var. 24.
Inculcatio, daß einbläuen. 22, 46.
Incunctanter, sine morâ. 5, 12. 5. var. 20 & 27. l. 20. ℳ de manum. vind.
Indecentia, unanſtendlichkeit. 22, 62.
Indeclinabilis, qui declinari nequit. *Indeclinabilis bonitas* 35, 7. *Juſtitia* Senec.
Indeclinabiliter 22, 4.
Indeficiens, qui non deficit. 22, 4.
Indevotus, irreligioſus, 22, 72. 2. var. 16. l. 35. in f. C de donat. v. *Voſſ.* d. l. p. m. 454. 820. Hinc *Indevotio heredis* l. 1. ff. de pen. leg. quæ tamen verba Tribonianimagis quàm Ulpiani phraſin ſapere dicit *Briſſonius* de V. S. colligens id ex l. f. §. f. C. de fideicomm. lib. l. f. §. 2. C. de teſtam. manum l. 35. §. 5. de donat. Ubi addit: Quamquam (inquiens) *Indevotionis* vocem â barbarie adſerit D. Ambroſ. lib. de Eliâ c. 17. quo peregrinum quidem, receptum tamen bibendi pro ſalute Principis morem, jam inde â ſuis temporibus invaluiſſe, oſtendit. *Quid memorem*, ait, *ſacramenta, quæ violare nefas arbitrantur? Bibamus, inquiunt, pro ſalute Imperatorum, & qui non biberit, ſit reus indevotionis.* Sic enim eum locum emendo, quod & ſequentia verba confirmant: *Videtur enim non amare Imperatorem, qui pro ejus ſalute non biberit. O piæ devotionis obſequium!* Hæc *Briſſon.* d. l.
Indignanter, more indignantis. *Indignantiſſimè dicere.* 22, 28. *reſpicere*, P. Bl. ep. 21.
Indiviſibilis, ἄτομος 22, 9.

Indubitanter, absq; dubitatione. 22, 62. l. 2. §. 7. ff. de bon. poss. sec. tab.

Inebriari, ebrium fieri. 56, 4. 5. 6. 58, 10.

Ineffabiliter, ut effari nequeas. 22, 6.

Ineptia, stultitia. *Ineptia secularis*. 39, 5. v. *Voss.* 3. Gram. 43. p. m. 205.

Infantulus, parvus infans. 42, 2. Augustin. epist. 59. ad Paulin. *Quid dicturus est de infantulis parvulis, qui pleriq; in illa ætate gratiæ Christianæ sacramento, cùm sine dubio pertinerent ad regnum cœlorum, si continuò ex hac vitâ emigrarent, sinuntur crescere, ut nonnulli etiam apostatæ fiant.*

Infestatio, vexatio. 57. 1.

Informitas, deformitas. 36, 1.

Ingratitudo, ingratus animus. 22, 24. 29. 30. 43. 5. var. 8. 8. var. 17. v. *Voss.* de V. L. L. p. m. 68.

Initiare quem inter amicos præcipuos prol. 62.

Initialis, qui inchoat. *Initialis amicitia* prol. 69. *gratia*. Prosper.

Innatior, magis innatus 46, 3.

Innovatio, novatio. 57, 6.

Inoleta consuetudo, Eine Gewohnheit / so eingerissen ist / cujus quo semel est imbuta olim servavit odorem Aula, vel Curia diu 21, 19. quæ l. 32. §. 1. de LL. dicitur *Inveterata consuetudo*. Cum eâ admodum convenit *Jus non scriptum* §. 3. J. de J. N. G. & C. Nec abludit multum Alemanicum illud Herkommen / quod quidam Politicorum exterorum, non adeo fortè nostræ linguæ peritus, corrupte extulit *jus Hercomanicum*, ut ex colloquio, inter aliquot magni nominis viros in cœnâ dubiâ regnicéq; hic locorum instructâ, me tum umbram

bram agente, super hac aliis interspersâ paraturâ instituti, observare me memini. Cœterùm vox *Inoletus* (denotans propr. da der Geruch durch und durch gezogen: tropice gewohnt / alt) cum cognato suo verbo *Inoleo* seu *Inolesco*, descendit ab *Oleo* sive *Olo*, quod proprie & primario non tam *Crescendi* significationem habet, quàm *Spirandi*, *odorem spargendi*, riechen / einen Geruch oder rauch (Unde Germ. Weiherauch Thus, species odorifera) von sich geben oder an sich nemen. Hinc *Abolere*, odorem subtrahere, odore privatum depretiare vel perdere; ut *Deflorare*, flore privare: *Abolescere*, odorem amittere, verriechen / verräuchern; sic *Exolere*, *Exolescere*. *Adolere* l. odorem facere, einen Geruch machen / räuchern / & per metonym. anzünden / opfern. 2. Odorem nativum emittere, einen natürlichen Geruch von sich geben / & meton. sign. pro signat. crescere, durch den frischen Geruch anzeigen / das man wächst oder zunimmt / seinen völligen Geruch haben (ex quo facilè conjicere est, quæ propria & palmaria vocis *Adolescens* significatio sit): *Indoles*, nativus odor, der Natürliche zustendige Geruch. Et sic consequenter de reliquis, quæ prolixiùs enucleare jam non licet. Quid si eandem redolere matricem dicam dictionem *Adulter*, de cujus genuinâ originatione infanum magnum inter JCtos æquè ac Philologos dissidium est, ut videre est inter alios apud *Joh. Rebhan* JCt. Argent. in Hodeget. jur. p. m. 869. & *G. J. Vossium* Philolog. Batav. in Etymol. L. L. hac voce: numquid monstri redolere, aut linguam Latiarem adulterare videbitur conjectio istha, quâ mihi suboluit, relictis aliis suis olfactionibus

seu hariolationibus partim satis graveolentibus dictam voculam *Adulter* cum suis subolibus prolem esse legitimam sæpius tacti verbi *Olere*? Non ominor apud veræ Philosophiæ & Philologiæ assectatores; reliquos de gente hircosâ Centurionum, simulatæ immorantes, non moror; sed potius postergo. Certè videtur illa eâdem admodum formâ ab *Adolitum* seu *Adultum* derivanda, ut sit *Adulter*, qui aliquid adolendo corrumpit aut perdit, ein Verräucherer/ ein Verderber/ vel qui adolet ad aliquid, Saxonibus inferioribus esset, de wohen rücke edder schnüffelt ad instar catulorum: quâ *Culter* à *Colitum*, seu *Cultum*, instrumentum cujus præcipuus usus in culinâ & cultu, ein Küchen-schlacht-oder Opfermesser: quâq; *Pulcer* vel *Polcer* à *Politum*, so da komt zierlich von der Poltermülen / wohin mancher Extravagant sein rostiges Mümichen (quam potius, ceu Caracalla fratrem Getam, Divam colere, quàm vivam tollere optaret, ovabundus pro togâ voti togam funeris mutaturus) hinschicken dürffte/ wan es nur zu practiciren stünde. Sed satis jocularium: ad seria revertamur.

Insania, arum. 22, 21. v. *Voss.* 3. Gramm. 40. p. m. 177.

Insensibiliter, ἀναισθήτως. 54, 5.

Inseparabiliter, ut separari nequeat. 25, 4. *Divitias & honores sollicitudo inseparabiliter concomitatur* P. Bl. ep. 35.

Insignare, σφραγίζεσθαι 22, 39. nisi hèic *insignivit* legendum, ut supra §. 34. v. *Voss.* de V. L. L. p. m. 700.

Insufficientia, unvergnüglichkeit. 58, 2. 7. Boeth. 3. de cons. phil. prof. 3. P. Blef. ep. 23. *Quis hodiè à Pontificali onere se excusat? quis hodiè allegat insufficientiam suam? quis hodiè invitus trahitur aut reclamat?*

Inten-

Intentator, tentator 21, 9.
Internus, interior 37, 2. Super integritate hujus vocis *Voßio* d. l. p. m. 460. desideranti de eo idoneum autorem, satisfacere videtur *Borrich.* d. l. jung. Sciopp. in animad. in *Voss.*
Intimare, indicare. 22, 4. l. 30. C. de donat. l. 16. C. d. SS. Eccl. v. *Voss* d. l. p. m. 701. *Intimatio.* l. 1. C. de requ. reis.
Intoxicare, venenare. 12, 10. v. *Voss* ib. p. m. 702. 824.
Invisibiliter. ἀοράτως 56, 3 v. *Voss.* d. l. p. m. 463.
Invitius, magis invite. prol. 34.
Jubilatio, ἀγαλλίαμα. 50, 1.
Jubilæus annus. v. infra *Placalis.*
Jucundari, oblectari. 57, 3. de anim. c. 5. v. *Voss.* d. l. p. m. 706.
Justificare, justum facere. 21, 2. 21, 26. *Justificatio.* 17, 1. 25, 1. Theologis usitatissima vocabula.

L.

Lamia, phoca, strix, draco. prol. 45. 32, 4. *Ut lamiæ fabulæ narrant foris oculatas esse, domi oculis in vase reconditis, nil videre: ita quidam in alienis perspicaces sunt, ad sua cæcutiunt.* Gregor. in moral. *Tigres erga fœtus suos & lamias etiam sævicres emollit affectio.* P. Bl. ep. 146.
Latria, cultus, servitus. *Latriam exhibere alicui.* 36, 2.
Levigare, levem facere, *Levigare gravia.* Prol. 33.
Linearis, instar lineæ factus. *Linearis dimensio.* 35, 6.
Linguosus, langzüngig. 4, 10.
Longanimitas, langmütigkeit. 56, 1.
Longiturnitas, longævitas. 57, 8. v. Voss. d. l. p. m. 481.
Lubricitas. 22, 79. *Lubricum linguæ.* 22, 14. l. 7. §. 1. ff. ad l. Jul. maj. *consilij* l. 3. §. 5. ff. de testib. *tutelæ* l. 4. §. 1. ff. de

de usur. *ætatis* l. 11. §. 5. ff. de minor. l. f. C. si adversus delict.

Luminosissima dies. 22, 2.

M.

Malitiæ, arum. 22, 68.

Mansiuncula, parva mansio. 35, 2 & 3.

Mediare, medium esse. *Mediante beneficio caritatis* 18, 1. *desiderio* 21, 4. *dilectione* prol. 39. *firmamento* 22, 6. *militiâ* 19, 2. *Deo.* l. 6. C. Wisigoth. de jud. & jud. Sic communiter dicimus *Mediante juramento*

Mediator μεσίτης 16, 3. *vid. Voss.* d. l. p. m. 75.

Mediocriter, obenhin. *Mediocriter amare.* l. 22, 40. *diligere* 58, 2.

Memoriale, ein Denkmahl. 22, 36. 23, 4.

Mendaciter, per mendacium. Proba vox, at Lexicographis vix cognita. *Mendaciter excusare se* 13, 3. *Antiquitas nil de se mendaciter prædicavit*, Solin. c. 5.

Meretricarius, meretricius. *Meretricario more divaricare pedes.* prol. 55. *Meretricabilis turpitudo* 22, 46.

Meum & Tuum si sublata essent de medio, felicissimam agerent homines vitam. 10, 6. An ex hisce 2. pronominibus possessivis (np *Meum*, *Tuum*) recte descendat *Mutuum*, vid. infra in *Mutuus* Vere a. ex iis originem suam apud Saxones traxisse videtur *Episcopatus Mindensis*, quem tempore fundationis, ap. A. C. 785. Widekindus Saxon. Rex ita voluit nominari, quod omnia sua essent Caroli M., Saxonice Myn Dyn/ ceu refert *Calvis. Chronol.* ex Annal. Saxon. vel Episcopi, ut habet *H. Bangert. in Helmold. hist. Slav.* p. m. 224.

Minorare, minus habere. 9, 13. Fit autem â *Minus*; ut Deterio-

teriorare à *Deterior*: *Meliorare* à *Melior &c.*
Mirabilior. prol. 36. *Mirabilissimus* Colum. 7. R. R. 34.
Miraculosè. 13, 5. An hoc æque ac *Miraculosus*, ut vult *Vossius* de V. L. L. p. m. 504. vetustis ignotum fuerit, dispiciendum.
Miserationes. 22. 82.
Misericordiæ, arum. 22, 68. 69. 81. 24, 3.
Misericorditer accedere. 56, 3. *agere* 26, 6. *redimere.* 22, 22. *transformare* 39, 4. *flagellare* P. Bl. ep. 31. v. *Voss.* d. l. p. m. 786.
Modernus, hodiernus. prol. 9 *Quod olim devota Principum munificentia contulit, modernorum avaritia, non sine magno fœnoris dispendio revocare & auferre præsumit.* P. Bl. ep. 29 v. *Voss.* d. l. p. m. 76. 509.
Momentum, ein Augenblick. 22, 1. Dicitur a. à *Movendo*, unde & pro *Motu* ponitur. Apul. 4 Flor in f. *Venarum pulsus & momenta captare* nach dem Puls fühlen.
Moralitas, morum compositio, honestas. 36, 5. 45, 2. & 5. v. *Voss.* d. l. p. m. 511.
Mortificare, e medio tollere 16, 7. 22, 12. v. *Voss.* d. l. p. m. 714.
Multiplicitas. 34, 1. *Desidem & in viâ Domini lentescentem infirmitatum multiplicitas stimulavit ad cursum.* P. Bl. ep. 31.
Mundialis, mundanus. 20, 8. v. *Voss.* d. l. *Borrich.* d. l.
Munificentiæ, arum. 22, 82.
Mutabiliter. 21, 24.
Mutuari, mutuum accipere. prol. 7. *Mutuò accipere* 6. n. v. *Voss.* d. l. p. m. 155. *Borrich.* d. l. *Mutuò diligere* prol. 35. *Mutuiter amare quem.* Varro in satyr. quæ Octogesis

gesis f. potius *Octogæsis* (ὀχθόγαιος) curarum expulsio vel expultrix, qualis audit apud vulgus pecunia, inscribitur. vid. *Auson. Popm.* conject. in Varron. fragm. p. m. 200.

Mutuus, à *Muto*; ut *Pascuus* & *Compascuus* à *Pasco* & *Compasco*; *Ingenuus* ab *Ingena* (antiq. pro *Ingigno*); *Vacuus* à *Vaco*; *Attiguus* & *Contiguus* ab *Attigo* & *Contigo* (ant. pro *Attingo* & *Contingo*): *Cernuus* à *Cerno*; *Irriguus* ab *Irrigo*; *Cæduus* à *Cædo*; *Occiduus* ab *Occido*; *Viduus* à *Vido* (quod æquè non est in usu, ut *Fendo*: unde *Defendo*, *Offendo*), antiq. à quo *Dividuus*, *Individuus* à *Divido*; *Exiguus* ab *Exigo*; *Accubuus* ab *Accubo*, *Ambiguus* ab *Ambigo* (quod ut & *Ambages* & *Ambactus* compositum est ex præverbio *Ambe* seu *Am*, & verbo *Ago*. v. *Voss.* art. Gram. l. 18. p. m. 223. lb. 6. 24. p. m. 116. & de V. L. L. p. m. 9.); *Prodiguus* (hinc *Prodiguæ hostiæ* Festo) à *Prodigo*; *Fatuus* à *Fator* (seu *For*, quod obloletum: unde & inter cætera *Vates*. Deutroq; nomine facetus lusus, τὸ δεῖνα inficeti de gente stellatorum δεινᾶ genuinis minus ingenuis arrosus, extat talis; *Affinitas inter Vatem & Fatuum. Vates & Fatuus parvo discrimine distant*; *Accipit à fando nomen uterq; suum*); *Inuus* (cognomen fuit Chami apud paganos, ob lasciviam: *Voss.* Etymol. magno.) ab *Ineo* &c. Plura offendes apud *Voss.* 4. Gram. 31. p. m. 401. Atq; ita veram & genuinam *Mutui* originationem adstructum ivimus, quod *Cujacio* 11. o. 7. æquè ac *Turnebo* 13. adverss. 25. placere, docet *Bacchov.* in pr. J. quib. re contr. oblig. Interim reliquas tam JCtorum (quod *Mutuum* appellatum sit inde, quia ita à me tibi datur, ut ex meo tuum fiat,

fiat, d. pr. J. quib. mod. re contr. obl. l. 2. §. 1, ff. de reb. cred, quam ſcitam magis eſſe quàm veram notat *Turneb.* d. l.) quàm Varronis de L. L. (qui auctor eſt Mutuum â Græcis tractum, quod Siculi Μοῖτον) etymologias ſeu potius annominationes non adſpernandas ducimus, nec iis detrahimus. *De Mutuo* inter cæteros egregium tractatum edidit *Thom. Lindemannus* JCtus & Anteceſſor Laciburg. materteræ meæ jugalis princeps. Plures alios Autores de eâdem materia reperies apud *Joh. Bechtold.* in ſyll. mat. jur. *Contra Mutui ſeu crediti pactum ſi homo præſumat venire, delinquit.* 28, 9. quò referenda eſt inter alias *l. 27. ff. de reb. cred.* Ad quam legem magnum lumen adfert *Epiſtola Phalaridis 8. ad Melitenſes*, cujus verba digna ſunt, quæ huc transſumantur. Quia autem Græca ad manus non ſunt, adhibenda erunt Latina verba, quæ ita ſonant: *Quamvis in hoc præſenti tempore non admodum divitiis abundant, quoniam continuis bellorum impenſis abſumtæ: tamen adduci me paſſus ſum, ut vobis rogantibus pecuniam mutuò darem. Non enim, ut dici ſolet, excuſatio erga amicos prætendenda eſt. Non verò faciatis idem, quod vulgò fieri conſuevit, ut mutuum ſumentes blandiſſimâ oratione utantur, repetiti verò, probroſiſſima difficillimaq; rem â juſtitiâ & â gratitudine abhorrentuſſimam agentes. Eum enim, qui ceperit, meminiſſe creditorum par eſt, & usq; ad perſolutionem de his ſemper eodem modo ſentire; atq; ſi bonus ſit, ut bono perſolvere; ſin malus, ut malo. Nam & æquo & iniquo creditum reddere convenit. Ego itaq; Melitenſes, & cum do & cum repeto, ſum idem & mihi ſimilis. Debitores verò & ad tempora & ad ingenia, perinde ac Chamæleontes ad locum*

colorem se commutant & fingunt: atq; sumentes quidem, ut beneficum & Deum laudibus extollunt; cùm verò debitum exigitur, ut tyrannum & sceleratum calumniantur. Adhæc neq; illud me præterit, melius esse multò ab homine privato, quàm ab urbe, mutuatâ pecuniâ spoliari: Si enim ab uno homine quis fraudatus sit, unum solum modò possidet inimicum, eumq; imbecillem. Sin à Rep. damnum quidem simile facit; hostes verò complures, non unum tantùm habet. Verùm nil ejusmodi de vobis sentio: sed extra suspicionem omnes pecunias concedo. Nam cùm in aliis rebus vestra mihi gratitudo, tum in contractibus justitia fidesq; cognita est. Præsertim verò cùm hoc vos non latere sciam, majus crimen in iis esse, qui multi uni injuriam inferunt, quàm qui unus à multis injuriam patitur. Non n. credibile est ab uno multos, sed unum à multis contemtui negligiq; haberi verisimile est. Hactenus Phalaris, cujus Epistolas omnes absolutissimis supra laudati Jos. Arndij commentariis illustratas, totidem admodum annis, quot Ulysses à patriâ extorris fuisse fertur, desideravimus, & in lucem datum iri speravimus: Sed hactenus in cassum. An tandem aliquando sint lucem visuræ, Θεῶν ἐν γόνασι κεῖται.

Mysterium, secretum. 3, 12.

N.

Nævus vitii 3, 4. ingratitudinis 5. var. 8 ubi vid. Bross.

Nominatissimus, celebratissimus 54, 2. Sic P. Bl. ep. 8. Scribere in bibere convertisti, Nunc prædicaris egregius potator, qui fueras prius nominatissimus disputator.

Nubi um mentis serenare, 13, 11.

Nuga-

Nugatoria felicitas, 20, 9. *Facte vestræ senectutis immoletis Altissimo, qui juventutis & adolescentiæ vestræ florem in rebus nugatoriis expendistis.* P. Blesens. epist. 6. *In nugatorias res consumta tempora* l. 17. §. 14. ff. de ædil. edict.

Nutritura, 35, 4. P. Bl. ep. 40. *Nutritio.* Varr. 1. R. R. 44.

O.

Occisor, interfector. 32, 7. P. Bl. ep. 42. *Occisio* l. 23. §. 2 ff. ad leg. Aquil.

Odibilis, odio dignus. 39, 5. *Odibilius* pr. 56. *Contraxit ab aëre suo Sicilia, contraxit & â malitiâ inhabitantium in eâ, ut mihi odibilis & quasi inhabitabilis censeatur.* P. Bl. 46. v. *Voss.* 6. Gramm. 11. p. m. 388. & de V. L. L. p. m. 522.

Officialis affectus. 51, 2. &c. *Officiales operæ*, l. 6. l. 9. ff. de op. lib. *Officialis* unde dicatur, egregiè exprimit P. Bl. ep. 25.

Opinio, fama. 3, 4. 10. 13, 1. 4. Hinc *Opinabilis* lib. de Dialect. in f. *Opinatissimus* div. lect. c. 2. v. *Steph. Joh. Stephan.* in Sax. Grammat. præfat.

Oppalliare, bemänteln. 21, 6.

Ordinatissima caritas. 16, 3.

P.

Palliare æstum insaniæ nomine Zeli. 12, 5. *Obtentu justitiæ palliatæ subditos opprimunt* P. Bl. ep. 25. *Sic tibi dilectissima suggerit humani generis inimicus, incommoda mundanæ conversationis palliando versutè* Id. ep. 35.

Parilitas, æqualitas. *Parilitas voluntatum* pr. 64. Idem eodem vocabulo utitur lib. de anim. c. 19. *Nec aliter animadvertere merebimur* (sc. in vitâ æternâ) *nisi nunc quæ sunt vera fateamur, id est, coæternam distin-*

distinctam & inseparabilem Trinitatem, replentem omnia simul substantiali virtute suâ, unumtriplex, trinumq; simplabile: Parilitas in omnipotentiâ, æqualitas in caritate, unitas in naturâ.

Paritas amicorum multiplicata. Prol. 28.

Patenter, evidenter. *Patenter exprimere quid.* 21, 1.

Penetrabilior. 22, 76. 30, 1. Lucr. 2, 382. pro eo ponit *Penetralior.*

Peremtorius, qui vim perimendi habet 12, 1. 16, 7. 19, 1. & 20. 22. 24. 49, 3. *Peremptorium venenum* tödtlich) vergifft. Apulei. *Peremptoria exceptio, Peremtorium edictum*, termini juridici.

Perplexiùs involvere quem. 36, 7.

Perturbativus, vim perturbandi habens. 19, 6.

Philosophia inanis. 39, 1. Respicere videtur Autor noster ad verba Paulina Coloss. 2, 8. *Videte, ne quis vos decipiat per Philosophiam & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum* &c. Et vers. 23. *Secundùm præcepta & doctrinas hominum, quæ sunt rationem quidem habentia* &c. Et 1. Tim. 5, 4. *Languens circa quæstiones & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ, suspiciones malæ, conflictiones hominum mente corruptorum & qui veritate privati sunt.* Consule super his etiam P. Bl. ep. 6. Cæterùm *Philosophia (vera, non simulata)* dicitur etiam *Jurisprudentia*, quarum utraq; definitur, quod sit *Notitia rerum divinarum, & humanarum* l. 1. §. 1. ff. de J. & J. §. 1. J. eod. Cic. 2. de fin. Sen. ep. 89. & 104. Conf. *Joh. Gryphiandri* JC. *dissert. philol. de Euthanasiâ* par. 1. n. 13. & 66. *Placalis Domino annus* 22, 18. Idem admodum, qui paulò ante *Jubilæus*, cujus, ut & *LXX. hebdomadum Danielis*, accura-

accuratam enodationem inter cæteras eminentem vid. *in Vindiciis S. Hebrææ Scripturæ, Matth. Wasmuthii* P.P. Lacib. jam sub prælo ferventibus. Et ut hoc instar mantissæ non spernendæ addam, Noster c. 24. div. lect. de Psalterio in tres q. jubilæos dispertito ita loquitur: *Psalmorum corpus universum, & in tribus codicibus per quinquagenos Psalmos judicavimus conscribendum, ut jubilæi anni quantitas triplicata Sanctæ Trinitatis votiva nobis remissionis beneficia renunciaret.*

Plasmare, fingere, creare. 27, 7. v. *Voss.* de V. L. L. p. m. 723.

Pluries, sæpius pr. 34. Hanc vocalem, non probatam *Vossio* d. l. p. m. 107., Latio adscruit *Borrichius* d. l. & *Sciopp.* animadv. in *Voss.*

Pœnitudo, pœnitentia. 45, 5. 6. var. 20. *Voluptas hominum si plerumq; placeat, pœnitudinem inducit: Si delectat ad modicum, productiore spatio displicebit.* P. Bl. ep. 35. Primus hoc nomen â barbarie vindicasse videtur *Aug. Buchnerus* P.P. Witeb. in Fabr. Thesaur.

Pœnalis minatio bedreuung bey Straffe. 22, 74.

Pollutor, qui polluit. *Pollutor fœderis*, fœdifragus 10, 5.

Pollutio. Pallad. 9. R. R. 10.

Polymitus, πολύμιτος, multis liciis textus in telâ per textoria instrumenta. *Polymita vestis*, ein Polymiten-vieldrätig / viel farbig Kleid. 22, 63. *Cubicularia Polymita.* Martial. 14. epigr. 150. Ejusdem cum hoc nomine sunt originis *Dimitum*, zweydrätig / *Trimitum* dreydrätig / *Hexamitum* sechsdrätig: ex quo posteriore corruptum dicitur Ξάμιτον, *Samitum*, Sammit / serici genus, vel lippis tonsoribusq; jam satis tritum. vid. de his omnibus *Salmas. in Vopisc.* p. m. 512. Add. *Voss.* d. l. p. m. 810.

Possi-

Posſibilitas, möglichkeit. 23, 2. 49, 1. Palläd. (Suetonii & Plinii jun. σύγχρονος, ut habet *Helv. chron.*) 3. R. R. 14. *In vitibus brachii sarmenta servare pro viti posſibilitate.* l. 1. C. de fund. limotroph. *Ad posſibilitatem loci intueri.* l. un. pr. C. de confirm. ff. *Deo posſibilitatem præstante.* *Vossius* d. l. inter vitiosas & minus Latinas voces & hanc referens, citat tantùm Matth. Parisium & Sigiberr. *Borrichius* l. c. barbariem ei aliquatenus defendens, laudat unicum Amm. Marcellinum lib. 19. qui Palladio, si non gemino, saltem sesquiseculo inferior.

Præeligere, anteponere, lieber wollen. pr. 65. *Amator & Zelator est virginitatis, qui nasci de Virgine præelegit.* P. Bl. ep. 36.

Præeminere, antecellere. *Præeminere ordine, dignitate.* 8, 14. 35, 7. *Præeminens*, excellens. 36, 8. *Præeminentior* 22, 47. 30, 1. Matth. Vindoc. in Tob. c. 7. *Præminere* pro *præeminere* posuit, & Appulei. lib. 6. de aur. as. p. m. 488.

Præfigurare, præponere. pr. 2. vid. infra *Titulus.*

Præstigium, fallacia seu captio, præprimis Diabolica, Augenverblendung/ Gaucheley. Non tantùm apud Auctores at siduos invenitur vox *Præstigiæ*, arum, ubiq; obvia, verùm etiam *Præstigia*, æ. Quintil. 4, 1. & *Præstigium* noster hic 19, 1. & 7. Var. 7. *Præstigia versuti juris ignorare.* P. Bles. ep. 38. Cæterùm utrùm *Præstigiæ*, an verò *Præstrigiæ* scribendum sit, dubium videri possit, cùm communis fermè φιλολογέντων doctrina sit, eam vocem à Præstringendo esse dictam: altera a. scriptura

potius

potius originem petat à *Præstinguo*, quod esset *Extinguo*; ut *Uxor* ab *Ungo*, cujus præteritum est non tantùm *Unxi*, sed & *Ungui*. (v. *Voss.* 3. Gram. 7. p. m. 701. & 5, 27. p. m. 102.). *Iso Magister* de eo ita in Gloss. ad Prudent. καθημερ. hymn. 6. v. 40. *Præstrigiator*) *Præstrigium* dicitur *Monstrum* à *Præstringendo* i. e. *illudendo improvisè oculos*. Id. gloss. in hymn. 3. περὶ στεφ. v. 86. *Præstrigia dicuntur à Præstringendo eò quòd præmoneant hominem & constringant timore suis demonstrationibus*. Hæc Iso.

Præsumere, opinari. *Præsumere arroganter de liberalitate alicujus* 22, 61. *Præsumere*, audere, sumere sibi 28, 7. 2, 4. Delectatur aliàs Noster hoc verbo in modò dictâ significatione ejusq; derivativis, ut colligere est præprimis ex variarum volumine. *Præsumtio*, ausus. 22, 30. 13, 2. 2, 14. v. *Voss.* de V. L. L. p. m. 157. 555. Adde (si tanti) *Disp. meam de Prob. & Præsumt.* c. 2. §. 1. ubi varii hujus vocis significatus summo digito attinguntur. *Præsumtuosè*, arroganter. 4, 5. 22, 42. P. Bl. ep. 42.

Pressura negotiorum. 21, 20. *gravaminum* P. Bl. ep. 31. *Turbari tribulationibus & pressuris*. Id. ep. 25.

Principium pro *principum* (si modo sana est scriptura), antiquo genitivo 17, 1. & 2. sic *Sapientium* 22, 75. v. *Voss.* 4. Gramm. 14. p. m. 314. *Bernegg.* in Justin. 1, 10, 1.

Prodigiosè, 54, 5.

Productior s. *Producta vita* pr. 55. P. Bl. ep. 20. 27. *Productius spatium* Id. ep. 35.

Professio, sui cujusq; vitæ generis manifestatio, quâ quis præ se fert, se ejus artis vel generis esse. l. 26. in f. C. de Episc. & Cler. Noster hìc, 16, 2. *Professio fidei* 35, 4. P. Bl. ep. 47. *falsi* Macrob. 1. in somn. Scip. 2. *flagitii* (de meretri-

meretricibus) Tac. 2. ann. 85. *argentariorum* l. 6. §. 9. ff. de edend. *scenicæ artis* l. 23. §. 1. C. de nupt. *Magi* Curt. 4, 7. *Illud quondam venerabile nomen & gloriosa professio advocati notabili venalitate vilescit* P. Bl. ep. 20. *Professor affectus* hîc 55, 4. *amicitiæ veræ* pr. 25, 48. *legis* 37, 2. *Filii Mariæ* 21, 7. *Christi* 32, 5. *veri* Macrob. d. l. *picturæ* (olim liberalibus annumeratæ teste Plin. 25. H. N. 10.) l 8. C. de metat. & epidem. *sapientiæ* Solin. c. 7. *ordinis Cistertiensis* P Bl. ep. 82. *operum diversorum* l. un. §. 1. C. de monopol. *Profiteri amicitiam* hîc 16, 1. *nomen amicitiæ* 2, 14. *delicias* Macrob. d. l. De *Professoribus*, post *Alber. Gentilem*, edidit Disput. secularem A. C. 1658. *Christian. Rosteuscher* Prof. Gedan. vid. quoq; *Joh. Bechtold.* Syllog. mater. jur. in voce *Professor*.

Pronior affectus. 52, 3.

Prophetare, prædicere, vatem agere. 12, 8.

Protestari, contestari. prol. 28, 72. 53, 3.

Protei vultum induere. 4, 7. Protei speciem scitè deformatam vide apud Nostrum 5. var. 34. Add. *Adag. Erasm.*

Proteo monstruosior. P. Bl. invect. in deprav. oper. suor.

Q.

Quæstuaria dilectio. prol. 1. *Spes* pr. 43. *Augusti filia ex adulterâ in quæstuariam versa*. Sen. 6. benef. 32. Pro *Quæstuarius* magis usitatum *Qnæstuosus*: unde *Quæstuosè*. Sen. 4. ben. 3. *Istud non est beneficium, sed fœnus, circumspicere, non ubi optimè ponas, sed ubi quæstuosissimè habeas, unde facillimè tollas.*

Quod pro *Ut*. 13, 2. 16, 11.

R.

Rancor, alter groll. De eo ita *Calvin.* lex. jur. ex Spigelio:

Rancor, quâ à Sorbonicis Canonistis & vulgò significatione sonitur, non est Latinum neq; Græcum neq; Hebræum, sed Raudense, ut festivè dixit Erasmus. Latinis est putor ex vetustate corruptionevè natus. Hæc Calv. Quicquid sit, utitur eâ voce in priore significatu Cassiodorus hic. *Cum rancore sumere quid* 46, 1. *Ex rancore, non ex amore procedit hoc* 22, 6.; In posteriore Pallad. 12. R. R. 10. *Custodire aliquid de rancore anni præteriti.* P. Bl. ep. 22. *Nil faciatis ex rancore, vel odio, sed omnia vestra in caritate fiant.* Id. ep. 51. *Quod si adversus eum aliud rancoris aut odii concepistis, benignè quæso & caritativè remittite.*

Rapina, amissio, ablatio. *Rapinam bonorum suorum cum gaudio suscipiunt*, scil. pii. 20, 6. Ad hanc ex Tarsensi Apostolo depromtam sententiam proximè accedit etiam Seneca, licet gentilis, epist. 88. *Numerare docet me arithmetica, & avaritiæ commodare digitos; potius doceat, nil ad rem pertinere istas computationes; non esse feliciorem, cujus Patrimonium tabularios lassat; imò quàm supervacua possideat, qui infelicissimus futurus est, si, quantum habeat, per se computare cogatur. Quid mihi prodest scire agellum in partes dividere, si nescio cum fratre dividere? Quid prodest colligere subtiliter pedes jugeri & comprehendere etiam si quid decempedam effugit, si tristem me facit vicinus potens, & aliquid ex meo abradens? Doces me, quomodo nil perdam ex finibus meis? at ego discere volo, quomodo totos hilaris amittam: Paterno agro, inquis, expellor. Quid? ante avum tuum quis agrum istum tenuit? cujus, non dico hominis, sed populi fuerit, expedire potes? Non dominus istò, sed colonus intrasti. Cujus colonus es? Si bene tecum agitur, heredu.* Negant JCti quicquam usucapi,

quod publicum est: publicum est hoc quod tenetur, & quidè generis humani. Hæc Seneca. *Rapinam facere,* rapere l. 1. §. 1. ff. de aleat. l. 88. §. 16. de legat. 2. v. *Briß.* de V. S. voce *Rapina. Rationabiliter,* cum ratione. *Rationabiliter diligere* 50, 2. *exponere* 5. var. 6. *Voßius* de V. L. L. p. m. 791. metuit, ne barbarum sit; hunc metum *Borrichius* d. l. excludere laborat Appuleii, Macrobii, & Mart. Capellæ autoritatibus.

Reatus. Vocabulum, Ciceroni, secundùm traditionem *Fabianam* 8. Instit. 3. aliisq; vetustioribus inusitatum, & à *M. Messallâ* primùm confictum, non tam ipsum crimen (ut JCti recentiores, à Budæo castigati, usurpare amant) quàm vel Theologicè obligationem ex delicto, vel juridicè statum seu conditionem reorum, in quâ ii sunt, usq; dum literam vel salutarem A. vel tristem C. in tabella scriptam cernerent. Priore notatione utitur Tertull. adverſ. Marcion. 1. *Reatus animæ.* Et ibid. 2. *Reatus patrum in filios redundat.* Posteriore Ulpianus l. 10. ff. ad leg. Jul. Majest. Modestinus l. 25. pr. ff. de pœnis & alii. Pro crimine tamen usurpare videtur Noster hìc *Reatus enormitas* 15, 2. *pestis* prol. §8. *Reatu liber animus* Macrob. 2. Saturn. 5. v. *Gotofr.* ad d. l. 10. & d. l. 5. *Calvin.* lex. jur. *Voss.* d. l. p. m. 137. *Beroald.* in Appul. de aur. as. lib. 1. p. m. 75. lib. 3. p. m. 218. lib. 7. p. m. 541.

Recompensatio, compensatio. 40, 2. 44, 1. ut verbum *Recompensare,* quo etiam Augustinus medit. c. 7. utitur, parùm Latinum agnoscit *Voss.* d. l. p. m. 735. sic nec hoc verbale agnoscet.

Redivivatio, actus quo quid redivivum fit. 22, 33.

Refe-

Referiatio, quasi â *Referiari*, iterùm feriari 22, 17.
Reintegrare. 22, 59. 62. *Reintegratio* 3, 12.
Remediari, mederi. pr. 33. *Remediabilis* de anim. c. 19. v. *Voss.* d. l. p. m. 738.
Reprehensibilis, reprehensione dignus. 48, 1. *Reprehensibiliter*. Ruffin. apolog. pro Origen. v. *Voss.* d. l. p. m. 792.
Reprobabilis dignus qui reprobetur. 47, 2.
Reptilia vitia. 22, 15.
Reputare, existimare. *Reputare se celsiorem seculo*. 21, 22.
Requietio, requies. 22, 8. 17.
Retributio, actus retribuendi. pr. 62. 22, 32. 25, 3. 32, 2. 50, 1. *Ipse* (sc. Deus) *est promissor magnificus, & munificus retributor*. P Bl. ep. 26. *Pleno peccato plena retributio debetur*. Id. Serm. 29.

S.

Sabbatismus. 22, 2. *Sabbatizare*, sabbatum celebrare 2, 8. 22, 23. v. *Voss.* d. l. p. m. 743.
Salvator, σωτὴρ 2, 6. 22, 1. 55, 5. Hanc vocem â *Bezâ*, *Castalione*, *Vossio* d. l. p. m. 745. rejectam, defensum it *Borrichius* jam sæpius citatus. *Salvari* 44, 1. *Salvare animam*. 34, 7.
Scandalizare, ärgern. *Scandalizatus*. prol. 24. v. *Voss.* d. l. p. m. 589.
Scrutinium, inquisitio. 22, 55. v. *Calvin.* lex. jur. *Voss.* d. l. p. m. 593. *Beroald.* in Apul. lib. 9. de aur. as. p. m. 804.
Scurrilitas, Schortsterey. 39, 5. Quid proprie *Scurra* significet, docet *Voss.* d. l. p. m. 119.
Securè, sine curâ, confidenter. *Securissimè dicere* 22, 17. *Vossii* (d. l. p. m. 792.) nimis acri censuræ subtrahere hanc vocem videtur Ulpianus l. 8. §. 6. ff. de inoff. testam. ubi dicit, *securè testari*.

Secretarius, actuarius, scriba. *Secretarium familiaritatis habere quem* 13, 2. *Secretarium*, locus ubi judices causam audiunt, die Gerichtsstube / die audientz / die Schreiberey. l, 3. C. ubi Senat. vel Clarissi. Sic Noster 11. var. 40. *Patere pœnale secretarium tuum innocenter esse secretum.*

Secularis, mundanus. *Secularis amor* pr. 13. *Secularia negotia* 21, 20. *secularis liber*, i. e. profanus. de anim. *Secularium literarum magister* lb. c. 2. *secularis lex*. P. Bl. ep. 26. *Causæ & judicia, quibus te imprudenter, ne dicam impudenter, immisces, potius consuetudinario & seculari jure deciduntur: Virum literatum & Ecclesiasticum non sic decebat secularibus negotiis implicari.* Id. ep. 25.

Senarius numerus. 22, 5. De hujus ut & *septenarii* perfectione disserit Macrob. 1. in somn. Scip. 6. De *Senario* vid. *Noster* 1. var. 10. ibiq; Forner. *Boëth.* in Arithm. *Jordan.* pecul. tract. *De Septenario Rupert.* in Flor. prol. §. 1. Pamel. not. in Cyprian. de exhort. matt. n. 57. *Beroald. libell. de VII. Sapientibus*: ut ipse testatur in comment. ad Appulej. lib. 6. de aur. asin p. m. 436. *Wurffbain* pecul. tract. *De Centenario Julian.* Epist. ad Serapionem. De *Denario Pythagorico* egregium tractatum emisit *Joh. Meursius* pater. *De Mystica numerorum significatione Bongus*. conf. *Bechtold.* syllog. mat. jur. in voce *Numerus*. *Sicera*, potio inebrians. 22, 10. Vox ab Hebræis petita *Beroald.* comm. in Apul. lib. 2. de aur. as. p. m. 14. *Voss.* Etymol. L. L. hac voce.

Simulatorius, simulationem referens. pr. 42. *Simulatorie diligere*. 32, 8. 58, 2.

Singularitas, Singularis ratio. *Singularitate quâdam diligere quem* 22, 5.

Sola-

Solarium, apricus locus in summâ ædium parte, solis calore fruendo accommodatus, cin Söller. 42, 3. l. 17. pr. ff. de serv. præd. urb. l. 12. § 6. C. de ædif. priv. Macrob. 2. Saturn. 4. Pallad. 11. R. R. 15. Vulg. Interpr. 2. Reg. 11, 2. Dantur & aliæ voces, quæ si non idem omnino cum Solario denotent, non multum tamen ab eo abludunt: ut *Mœnianum* l. 242. §. 1. ff. de V. S. l. 20. pr. ff. de serv. pr. urb. l. 2. §. 6. π. ne quid in loc. publ. l. 11. C. de ædif. priv. Fest. *Heliocaminus* Plin. 2. ep. 17. p. l. 17. pr. l. 20. pr. π. serv. præd. urb. *Hyperoum*, ὑπερῷον Act. 9, 37. *Projectum* l. 242. pr. de V. S. l. 2. ff. de serv. pr. urb. *Projectura* Vitruv. *Provolans* Alcon. *Prophurum* s. potius *Prophorum*, Πρόφορον l. 245. §. 1. ff. de V. S. *Iterum* d. l. 245. (quam legem hactenus multum negotii Interpretibus facessentem & mirè tortam, satis commodè emaculasse videtur *Salmas. ad Spartian. in Pescenn.* h. m. *Prophurum id est iterum, quod in ædibus fieri solet, ædium est*) ἐξώσαι l. 11. pr. C. de ædif. priv. (ex emend. Cujac.) Ἐκθῆκαι, Ἀναπάσεις, ἡλιαςήρια, ἡλιαστικά. De his omnibus vid. fusius dissertantem Salmas. d. l. Aliàs *Solarium* significat quoq; *id, quod pro solo penditur, cùm quis in publico ædificavit*, Bodenzins. Gr. ἐξοχὴ τῦ ἐξώτυ, Vet. Glossar. Gr. (ut habet *Brisson.* de V. S. in voce *Solarium*) ubi tamen rectius videtur, si legatur ἐξώστυ. l. 39. §. 1. ff. de leg. 1. l. 15. ff. qui pot. in pign. Item *Horologium* (cujus elegantem descriptionem habemus apud *Nostrum* 1. var. 45. & 46.) Varr. 5. L. L. 2. Cic. 2. de N. D. Gell. 3, 3. add. *Brisson.* d. V. S. voce *Horologium* & *Solarium*.

Solvendo sum, possum solvere. 22, 25. Victruvius 10, 6.

pro eo dixit *Sum ad solvendum.* Utrobiq; ellipsis *& Aptus.* Plenè protulit Symmach. 10, 20. *Solvendo par sum.* v. *Voss.* 7. Gramm. 12. p. m. 58.

Sophisticè commetiri se ad regulam amicitiæ. 5, 6. Sic P. Bl. ep. 161. *Me equidem in tuæ familiaritatis sacrario repositum opinabar, te solum judicabam me alterum. Tu versutiæ toxicum fovens, vulpinæ machinam fraudis Sophisticæ dilectionis involucro palliabas.*

Specialiter, absonderlich. 22, 5. Vocabulum hinc inde in ff. is & Cod. obvium.

Sponsalitia liberalitas, 22, 57. Vocatur aliàs *Sponsalitia largitas* rubr. C. de don. ant. nupt. Nov. Martian. de sanctim. *Largitio in sponsam perfecta* l. 9. C. Th. de inf. iis quæ sunt tyron. *Sponsale munus* Paneg. dict. Maxim. & Constant. p. m. 113. Græcè inter alia dicitur Ἀναγαλυπτήριον, in quâ voce *Antipater* perquàm scitè super ductâ uxore minus scitâ lusit, dum sciscitantibus, Quando daturus esset ἀναγαλυπτήρια? respondit: Quin potius quæritis, quando καταγαλυπτήρια. vid. *Joh. Bechtold.* Syll. jur. mat. in voce *Sponsalia.* add. (si lubet) Disp. meam de Impens. th. 11. *Sponsalitius amor.* P. Bles. ep. 36.

Suavificare, suavem reddere. 16, 7.

Suaviloquium, suavis sermo. 46, 2.

Subarrhare quem annulo v. *Annulus.*

Subornatus, fucatus 5, 6.

Supercœlestis munificentia. 16, 2.

Supereminens. 16, 4.

Supereſſentialis. 18, 2.

Superficialiter, obenhin. *Superficialiter diligere.* 58, 2.

Superſperare in aliquo. 24, 7.
Supportare onus, pr. 49. *Si nunc eſſes in ſeculo, te inter matronarum cuneos virorum illuſtrium ſupportarent brachia* P. Bl. ep. 35.

T.

Temporalis, zeitlich. *Temporalis mors* 34, *S. pulcritudo* 22, 46. *vita* 16, 17. *Temporale lucrum* pr. 41. *Temporales deliciæ, divitiæ.* 20. *1.* 9. 36, 7. Vox hæc tritiſſima in ϖ. & Codice.
Teneritudo, tenerrimus amor. pr. 47.
Terribiliter loqui. 21, 9.
Teſtamentaria verba. 4, 1.
Theſaurizare, thesaurum colligere. 20, 5. Verbum Eccleſiaſticis Scriptoribus frequens. *Voſſ.* de V. L. L. p. m. 758.
Theſaurus quare mediâ aut non adeo imâ ætate interjectâ literâ N. ſcripſerint, docet *parens meus Juſtus* p. m. peculiari diſſertatione *de Theſauris*, editâ in hac Almâ A. C. 1620. §. 1. adde etiam *Briſſon.* d. V. S. hac voce. C. *Barth.* in Rutil. itin. v. 323.
Titulus, inſcriptio. *Titulum præfigurare libro* prol. 12. *prænotare libri.* var. præfat. Ruffinus pro eo dixit *Attitulare*, Tertullianus adverſ. Jud. *Titulare*, alii *Intitulare*, v. *Voſſ.* d. l. p. m. 656. *Titulus*, epigraphe. *Titulus cauſſæ extat inſcriptus in caritatis memoriam* 22, 28. Digitum intendit noſter ad Inſcriptionem cruci Chriſti affixam, de qua Matth. 27, 36. Luc. 23, 37. Hinc *Titulus* idem quod *Memoria ſeu Eccleſia*, ſic dictus, quòd in loco, ubi erat Eccleſia erigenda, crux poneretur in titulum, ut: *Titulus Apoſtolorum, S. Petri, S. Georgii, S Florentini &c.* de quo evolv. *Baron in Martyrol.* ſub d. 29. Jul.

Jul. p. m. 468. Weiz. (quondam Rector Gothanus, & Præceptor parentis mei b. m.) *in Prudent.* hymn. 2. περὶ στεφ. 392. *Titulus*, possessionis causa. *In jure tituli, possessio animi, possessione naturali i. e. incubatione corporali præstantior est &c.* 50, 2. De hac materia vid. *Jacob. Seb. Laurembergii* JCti & Antecessoris Laciburg. disp. inaugur. *de Titulis* exhibitam in hac studiorum universitate A. C. 1646 add. *Briss.* de V. S. hac voce. *Buchn.* in Plin. l. 7. ep. 14. n. 283. ep. 29. n. 330. l. 8. ep. 24. n. 490. lib. 9 ep. 19. n. 544.

Togata, sc. Fabula. prol. 6. Fabula apud Romanos alia *Palliata*, quæ Græci; alia *Togata*, quæ Latini erat argumenti, primumq; à *Stephanione*, ut tradit Plin. 7. H. N. 48., insignito inde nomine *Togatarii* à Suet. in Aug. c. 45. saltata. v. *Voss.* lib. 2. de art. Poet. c. 7. seq. *Transgressor*, ein übertreter. *Transgressor amicitiæ* 2, 13. fidei 52, 2. *Transgressori interminari pœnam* l. 3. C. de aleator.

Transsumere, ex alio sumere, mutuari. *Transsumere sententias, verba.* pr. 6. *Transsumere lævâ hastam* auß der rechten in die lincke nehmen. Stat. Hinc *Transsumtum*, species una instrumenti. Dividitur enim Instrumentum ratione formæ in *Exemplar s. Exemplarium* (quod etiam *Authenticum*, *Autographum* & *Originale*), *Protocollum* (quod aliàs *Instrumentum defectivum*, *Imbreviatura*, *Matrix* & *Conceptum*) & *Exemplum* (quod *Transsumtum*, *Copia*, *Vidimus*, Ἀπόγραφον & Ἴσον): de quibus v. *Ritterst.* in Novell. procem. c. 1. add. *Joh. Bechtold.* Syll. mat. jur. in voce *Transsumtum.* Cæterum quod *Afranio* objectum fuit, quod scil. de libro Menan-

Menandri non solum sententias, sed verba integra transsumserit, rectius nostro montes & silvas librorum parturiente seculo de nonnullis compilatoribus s. potius expilatoribus & exscriptoribus dici posset: nam ille, ut & *Terentius*, ingenuè fassi sunt, unde sua hauserint; hi nostri verò autores nomen planè supprimunt. Talium Coryphæus statui potest impudentissimus & imprudentissimus ille Papisequa, qui *Hyperii tractatum de ratione studii Theologici* imprimi curavit, & nomen suum ei præfixit. Idem admodum plagii crimen *Radau* Jesuita impegit cuipiam super tractatu, qui inscribitur *Orator extemporaneus*. Hujus impetibilis criminis, in quod *Janum Palmerium*, ac si *Jano Douzæ F. Spicilegium in Petronium* sublegerit, impegit *Georg. Erhardus in Symbol. Petron.* p. m. 775. (non ruminato dicto illo: *Qui in alterum dicere paratus est, carere debet omni vitio*) reus Ipse agitur à *Senftlebio* in not. ad Catull. phasel. p. m. 50. ubi indicat, *Symbolas* illas potius partum esse *Mich. Casp. Londorpii*, quam Georg. Erhardi. Quid si præcedentibus accenseri mereatur is, cujus evanidum acumen & gloriationem tangit *Gronovius* in Diatribe in Silvas *Stat.* p. m. 411.? Hic si *notas in Val. Flacci Argonautica*, quas pro suis temerè venditat, veris autoribus, utp. *parenti meo Justo, Carrioni* (in quem tamen sæpius præter meritum invehitur) utriq; commentatori, *Kirchmanno* de fun. Rom, *Barth.* in Adversa., *Demstero in Rosin.* aliisq;, quorum illaudatorum verba transcribit, restituere cogeretur, instar corniculæ Æsopicæ plumis ornatæ alienis appareret. Hisce superioribus non adeò adnumerandus videtur *Petrus Blesensis* (vide Epistolam ejus 92.

jam supra pag. 165 citatâ, quâ apologiam sui scripsit in Cavillatorem quendam, qui eum ob S. Scripturæ Patrumq; sententias passim scriptis intertextas, Compilatorem per convitium appellârat: ubi inter alia memorat, se si non superiorem, saltim parem C. Julio Cæsari in stabilitate memoriæ fuisse, tres, imò quatuor potuisse partim dictare partim scribere epistolas) qui fortè non expilandi animo, sed exercitii causâ hoc *Cassiodori de Amicitia scriptum* in compendium redigere studuerit, secutus aliorum exempla, qualium farraginem collegit *Rupert.* in Flor. prol. 2. add. *Beroald.* in Apulei. 2. metam. p. m. 571. *Tribulatio*, afflictio. prol. 13. 17, 7. 22, 54. 24, 6. v. *Voss.* de V. L. L. p. m. 157.

Tristega, trium contignationum ædificia, τρίστεγα. 35, 2.

V.

Venativus, qui venatur. *Venativus gloriæ* prol. 41.

Venerari aliquem muneribus 54, 2. *laudibus & gratiis.* Tacit.

Venustare, decorare 22, 6. *Myropola affatim mihi largitus est, quo me venustarem.* Næv. apud Fulg. Plant. §. 43.

Verbositas, garrulitas. 4, 11. Sic legendum esse, non verò *Acerbositas*, ut jam impressum est, atq; etiam extabat in Ed. Gen, patet ex c. 3. §. 5. quod tandem, postquam caput illud excusum erat, penitius conferenti apparuit. Utitur eâdem voce Imp. Justinianus, aut quivis alius Cancellariorum ejus nomine *l.* 37. C de don. *Si quisquam per verbositatem aliquid tale inscripserit &c.* l. un. §. 22. C. de confirm. digest. *Ne verbositas eorum aliquid legibus nostris afferat ex confusione dedecus.*

Vicarius, mutuus. *Vicariâ congratulatione nutritur amicitia.* 8, 4. *Astra cœli mutuò reguntur auxilio, & vicario*

labore

labore participata mundum suis luminibus administrant 10. var. 3.

Vicissitudines actionum 20, 10. *Vicissitudinem amoris in se gerere.* prol. 68. *Vicissitudinem gratiæ reddere* 10. var. 22.

Violens, violentus. 22, 62. Horat. 3. od. 30.

Vivificare, vivum reddere 23, 22. 31, 1. 18, 2. Frequentem esse hanc vocem tantùm Theologis dicit *Voss.* d. l. p. m. 764. præter illos tamen etiam aliis np. Tertull. de fugâ in persec. & Apulejo in Herm. Asclep. c. 3. usurpatam tuetur *Borrich.* d. l.

Umbraticè, zum Schein. *Umbraticè diligere.* 32, 8.

Urbanior sermo. 42, 1. *Et, quod poterat animum virginis fascinare, nullus erat in verbis urbanior, nullus uberior in muneribus, nullus ad omnes liberalitates effusior.* P. Bl. ep. 35.

X.

Xenium, munus quod hospitibus datur. 22, 45. De acceptione ejus scitè Ulpianus l. 6. §. 3. ff. de off. Proconf. *Non in totum abstinere debebit xeniis* (quæ ipsi non ut judici, sed ut hospiti offerebantur) *proCOS, sed modum adjicere; neq; morosè in totum abstineat, neq; avarè modum Xeniorum excedat, quam rem* D. *Severus & Imper. Antoninus elegantissimè epistolâ sunt moderati, cujus epistolæ verba hæc sunt*: Quantum ad Xenia attinet, audi quid sentimus; Vetus Proverbium est: ὅτε πάντα, ὅτε πάντοτε, ὅτε ἀπὸ πάντων i. e. neq; omnia neq; quovis tempore neq; ab omnibus. *Nam valdè inhumanum est, à nemine accipere; sed passim, vilissimum est; & omnia, avarissimum. Et quod mandatis continetur*, Ne donum vel munus ipse proCos. vel qui in alio officio erit, accipiat,

ar, ematvè quid, nisi victus cotidiani causâ, *ad Xeniola non pertinet, sed ad ea, quæ eduliorum excedunt modum, sed nec Xenia producenda sunt ad munerum qualitatem.* Hæc Ulpianus. Noster 7. var. 9 *Unusquisq; pro solennitate commonitus offerat voluntarium munus: Xenia enim sunt ista, non debita.* Plin. 5. epist. 14. *Quàm me juvat, quod in causis agendis non modò pactione, dono, munere, verùm etiam Xeniis abstinui!* Id. 6. epist. 31. *Summo die abeuntibus nobis (quàm diligens in Cæsare humanitas!) xenia sunt missa.* P. Bl. ep. 66. *De Zonâ aureâ, & lumbari serico & samito & aliis xeniis, quæ per latorem præsentium de vestrâ largitione suscepi, non quantas volo, sed quantas valeo, refero vobis gratias.* Xeniorum titulum Martialis præfiguravit libro XIII Epigrammatum suorum: ut libro XIV. *Apophoretorum*, quæ sunt dona convivis in Saturnalibus data domum ferenda.

OMISS.

OMISS.

INdulgentior vitiis, qui magis indulget vitiis, proclivior ad vitia. 12, 2. *indulgentius vitiis deditus* Solin. c. 16. De illo loq. gen. vid. *Voss.* 6. art. Gram. 15, p. m. 208. 209. Comparativus participii descendentis à verbo *indulgere*. Hinc derivatur etiam *Indulgentia*. *Indulgentia principis*, benigna concessio per quam pœnæ liberatio contingit. l. 10. C. Th. de indulg. crim. *Indulgentia pœnæ gratiam facit, non infamiam criminis tollit*, l. f. C. de gen. abol. l. 5. C. Th. de Indulg. crim. *Indulgentiæ* elegantem descriptionem invenies apud Nostrum *11.* Var. 40. Aliâs etiam audit *Restitutio*, *Gratia*: de quâ seu *Jure aggratiandi* egregias elucubrârunt commentationes præ cæteris *Dan. Clasen*, edit. Magdeb. 1660, & *Henr. Rud. Redeker.* JC. & Antecessor Noster, edit. Argentor. 1650.

Infula, tegmen s. ornamentum capitis, Regibus & Pontificibus apud Persas tritum. *Imperiales infulæ* 58, 9. Conveniunt cum eâ *Cidaris & Tiara* seu *Tiaras*. vid. *Guil* Bourton. in λειψάνοις *linguæ Persicæ*, annexis *Orationi* ejus *de Græcâ Linguâ*, edit. Londin. 1657. *Voss. Etymol.* De variis *Infularum* speciebus apud Romanos consul. *Bross.* not. ad Nostri 2. var. 1. Ridiculam *infulæ* derivationem s. annominationem tradit *Præpositus in c. per venerabilem*, 13. §. *quod autem. n. 88. vers. Tertiò probatur. X. qui fil sint legit.*, his verbis: *Luna non lucet nisi per influentiam, quam habet à Sole: Ergo nec Imperator, nisi per influentiam, quam recipit à Papâ Et hoc voluit l. benè à Zenone. 3. in fin. ibi: Imperiales infulas.*

C. de

CORRIGENDA.

C. de quadrienn. præsc., ut dicatur Insula quasi Influa vel Influentia, sine quâ influentiâ operari non potest. Hæc Præpositus.


CORRIGENDA.

PRol. §. 2. *signatum*: *Secretum meum mihi, Secr.* §. 22. *Levi.* §. 36. *Beneficio.* §. 57. *Porrò hæc am.* §. 64. *mutua obsequela, rerum honestarum crebra coll.* §. 7. *Consummari.* Cap. 1. §. 4. *Hominem.* Cap. 4. §. 5. *Protei.* §. 11. *Quantò.* Cap. 18. §. 1. *condescendat.* §. 4. *Contemplatione.* Cap. 20. §. 6. *divitias.* Cap. 21. §. 3. *deluso-ria.* §. 15. *peccatum.* Cap. 22. §. 14. *Condescendentes.* §. 76. *Quasi clavi.* §. 78. *Multiplicatæ sunt* (*scil. iniquitates*). *Cap. 23. §. 3. adjuro. Cap. 25.* in fin. *faciente.* Cap. 28. §. 6. *sui. Vides oculo.* §. 8. *Propterea quicunq; communicat.* Cap. 32. §. 7. *amplexibus.* Cap. 35. §. 4. *Sapiunt.* Cap. 36. §. 2. *gratiam.* §. 6. *enim.* Cap. 55. §. 5. *Naturalis.* Cap. 57. §. 1. *Suspirat.* Cap. 58. §. 9. *Coexultat.* Pag. 144. *lin.* 2. *editio.* lin. 17. *ponentes.* Pag. 166. lin. 1. *mortuas.* 2. Pag. 205. lin. 18. *Salute animæ.* Pag. 196. lin. 22. *Proponere.* 1. Pag. 212. lin. 21. *deformat.* Residua, si qua inobservata remanserint, Justus & Benevolus Lector per se sincerâ manu emendare haut gravabitur.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730111245/phys_0240
DFG

F. Reppien.

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730111245/phys_0243
DFG


Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de
/rosdok/ppn730111245/phys_0244
DFG

OΛ

INdulgentior vitiis, qui mag… is, proclivior
ad vitia. 12, 2. indulgentius… olin. c. 16. De
illo loq. gen. vid. Voss. 6. art… m. 208. 209.
Comparativus participii d… erbo indulge-
re. Hinc derivatur etiam li… ulgentia prin-
cipis, benigna concessio p… liberatio con-
tingit. l. 10. C. Th. de indulg… ia pœnæ grati-
am facit, non infamiam crim… de gen. abol.
l. 5. C. Th. de Indulg. crim. antem descri-
ptionem invenies apud No… o. Aliàs etiam
audit Restitutio, Gratia: de… ratiandi egre-
gias elucubrârunt comm… e cæteris Dan.
Clasen, edit. Magdeb. 166… Rud. Redeker.
JC. & Antecessor Noster, e… 650.
Insula, tegmen s. or… itis, Regibus
& Pontificibus apud Pers… eriales insulæ
58, 9. Conveniunt cum… ra seu Tiaras.
vid. Guil Bourton. in λεξ… rsicæ, annexis
Orationi ejus de Græcâ Ling… lin. 1657. Voss.
Etymol. De variis Insularu… ad Romanos
consul. Bross. not. ad Nostri… iculam insulæ
derivationem s. annomin… Præpositus in c.
per venerabilem, 13. §. quo… vers. Tertiò
probatur. X. qui fil sint legi… : Luna non lu-
cet nisi per influentiam, qua… Ergo nec Impe-
rator, nisi per influentiam, … Papâ Et hoc
voluit l. benè à Zenone. 3… eriales insulas.
C. de

Universitäts Bibliothek Rostock
http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn730111245/phys_0245
DFG